




NYPL RESEARCH LIBRARIES
3 3433 06817701 7





Ruardi
YFH

# OBSERVATIONES

QUAEDAM SELECTAE

DE


# JUREJURANDO.

Oaths - Jurisp.

INAUGURALE
SELECTARUM QUARUMDAM
# DE JUREJURANDO
OBSERVATIONUM SPECIMEN,
QUOD,
FAVENTE DEO OPTIMO MAXIMO,
SUB AUSPICIIS
*SERENISSIMI* AC *CELSISSIMI PRINCIPIS*
**GULIELMI V,**
PRINCIPIS ARAUSIAE ET NASSAVIAE,
ETC. ETC. ETC.
FOEDERATI BELGII GUBERNATORIS HEREDITARII,
*ACADEMIAE GRONINGO-OMLANDICAE*
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI ET CURATORIS PRIMARII,
ETC. ETC. ETC. ETC.
EX AUCTORITATE
RECTORIS MAGNIFICI,
**IOANNIS RUARDI,**
J. U. D. Eloq. Linguae Graecae et Latinae, et
Antiquitatum Graecarum Professoris Ordinarii.
UT ET
Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,
et Nobilissimae FACULTATIS JURIDICAE Decreto,
PRO GRADU DOCTORATUS,
Summisque in UTROQUE JURE Honoribus ac Privilegiis,
rite et legitime capessendis,
*Eruditis ad examinandum offert*
**HENRICUS COLLOT D'ESCURY,**
ROTTERODAMO-BATAVUS,
*ad diem* XXVII. *Decembris* MDCCXCIV. *Hora* XI. *L. S.*

---

*GRONINGAE,*
Apud A. GROENEWOLT ET FILIUM.
MDCCXCIV.


THE NEW YORK
PUBLIC LIBRARY
306684A
ASTOR, LENOX AND
TILDEN FOUNDATIONS
R 1927 L

VIRO

NOBILISSIMO AMPLISSIMO

JOANNI MARTINO

BARONI

COLLOT D'ESCURY,

CIVI-

CIVITATIS ROTTERODAMENSIS CONSULI,

COLLEGII, QUOD PUBLICO NOMINE

RES MARITIMAS AD MOSAM

CURAT, AERARII PRAEFECTO,

PARENTI OPTIMO.

ARDET UT AESTIVO POST LAETAS TEMPORE MESSES
RUSTICUS AGRICOLAE DONA PARARE DEO.
QUALIS DEPOSITA MILES CUM CUSPIDE PARMA
EXUVIAS MARTI PONIT ET ARMA SUO.
TALIS EGO, ASTRAEAE LAETATUS MUNERA SANCTAE,
UT SOLET ELEO PULVERE VICTOR EQUUS,
LUCE PATER! FESTA, GRATI CUM THURIS HONORE,
MILITIAE REFERO PARTA TROPAEA TIBI.

H. COLLOT D'ESCURY.

# OBSERVATIONES QUAEDAM SELECTAE

DE

# JUREJURANDO.



## CAPUT I.

### *DE JUREJURANDO IN GENERE.*

§. I.

Nostras qualescunque de jurejurando observationes exhibituri primum quidem hoc capite inquiramus, quid sit jusjurandum, tum originem ejus indagemus, denique divisiones, diversaque jurisjurandi genera proponamus.

Omnes res, quae aliquam doctrinae partem attingunt, ita sunt comparatae, ut veritatis indagationem quam accuratissimam exigant, et a nemine, nisi qui il-

larum naturam et indolem recte cognorit, pertractentur. Quicunque igitur argumentum gravioris cujusdam disciplinae explicare aggrediatur, in hanc curam cogitationemque incumbat, necesse est, ut rem ipsam velut materiam, quam tractet, sibi subjectam accurate definiat, cum definitio hanc habeat vim et praestantiam, ut res involutas aperiat, et, quomodo ab aliis rebus dijudicentur, commonstret. Unde ea semper fuit laus Mathematicorum tanquam propria, quod, quicquid dicerent scriberentve, geometrica subtilitate definirent, atque ita ad meliorem rerum intelligentiam viam munirent.

Ad hanc igitur normam nos componentes, quid sit illud, de quo simus acturi, videamus.

Secundum CICERONEM *de Offic. III.* 29. (ut ab hoc ordiar) jnsjurandum est *Affirmatio religiosa, quod autem affirmate quasi Deo teste promiseris, id tenendum est.* Hanc definitionem, quam suam quoque fecit GROTIUS *de I. B. et P. II.* 13. 1. ita explicat NOODT,

ad

ad *D. L.* I. *de jurejur. Affirmatio a Cicerone non opponitur negationi, sed omnem designat asseverationem, sive negationem sive affirmationem complectatur. Estque praeterea affirmatio, qua inspiratur metus divini Numinis, quippe Deo invocato perjurii teste et vindice:* quod quidem apud me tantum valet, ut cum OTTONE ad PUFFEND. *de O. H. et C. L. I.* II. I. Ciceronianam definitionem minus reprehendam, inprimis cum omnes fere ad eandem normam se exegerint. Notum est illud ARISTOTELIS, *Affirmatio religiosa Deo teste adhibita.* Vid. COCCEJUS in *I. C. T.* I. *p.* 612. Non dissimilia sunt, quae dederunt VOETIUS in *Comment. ad D. T. I. p.* 631. PUFFENDORFIUS *de I. N. et Gent. L. IV. C.* 2. §. 2. et *de O. H. et C. L. I. C.* II. I. *Assertio religiosa, qua divinae misericordiae renunciamus, aut divinam poenam in nos deposcimus, nisi verum dicamus:* quo loco ad TITII judicium sententiam meam adscribere non possum, cum πας ορκος teste PLUTARCHO. ως καταραν τελευτα της

# OBSERVATIONES
QUAEDAM SELECTAE
DE
# JUREJURANDO.

tes, utrum Deus in jurejurando tantummodo vindex, an vero et vindex et teſtis ſimul invocetur. Nobis optima videtur ſententia THOMASII unum altero tacite contineri ſtatuentis. Vid. *Jurisp. divina Lib. II. Cap. 9. n. 42.*

## §. II.

Cum jam in eo ſimus, ut, propoſita jurisjurandi definitione, originem ejus indagemus, age illam a fonte repetamus, qno invento non erit dubium, quin ad perfidiam illud, quod quærimus, referendum ſit.

Ea ſemper fuit generis humani perverſitas, ut, licet naturae praeceptis ad recte beateque vivendum esſet conformatum, plerumque tamen ad ſcelus deprehenderetur pronum et a rectae vitae via deflectens. Quamvis cum loquela, conciliatrix illa humanae ſocietatis, tum vero etiam ratio ſumma, inſita hominis naturae, per quam homo, ut CICERO ait *de Offic.* I. 4. *conſequentia cernit, cauſas rerum videt, earumque progres-*

*greſſus, et quaſi antecesſiones non ignorat, ſimilitudines comparat et rebus praeſentibus adjungit atque annectit futuras, facile totius vitae curſum videt, ad eamque degendam praeparat res neceſſarias*, hominum praeſtantiam prae beſtiis efficiat, eſt tamen, quod vitiorum noſtrorum turpitudine illis quoque ſuperiores nos esſe, non ſine quodam doloris ſenſu, agnoſcamus. Vid. PUFFEND. *J. N.* et *G. II.* 1, 6. Et profecto, ſi ad normam rationis iſtius ſummae, cujus ea vis eſt, ut quae facienda ſunt, oſtendat, prohibeat vero contraria, atque adeo ad recte faciendum et inpellat, et avocet a delicto, ſi ad iſtius rationis normam mortales omni tempore actiones ſuas compoſuisſent, non eſſet profecto, quod ut alia vitia, ſic omnium turpiſſimam illam perfidiam, tam generis humani hiſtoria, quam triſtis experientia argueret. Dolendum itaque eſt, mortales, qui, ſi rationi, a Deo conſtitutae, morem gesſiſſent, omnis felicitatis participes evaſisſent, ad rectam illam vivendi normam ſe non accommodaſſe et

in vitae civilis usu conformasse. Quid? quod perversitas humana eo audaciae pervenit, ut utile ab honesto sejungeret, et cupiditatibus indulgens, in quaelibet vitia prolaberetur, quae quidem nemo melius exposuit, quam OVIDIUS *Metam. L.* I. *vs.* 144. sq. et SENECA *in Hippolyto. vs.* 551. sq.

*Tum scelera demto fine, per cunctas domos*
*Iere, nullum caruit exemplo nefas,*
*A fratre frater, dextera nati parens*
*Cecidit, maritus conjugis ferro jacet,*
*Perimuntque foetus inpiae matres suos.*

Accedit, quod auri sacra fames (ut poeta dicit) homines tanquam stimulo excitavit, ad divitias sibi quavis ratione comparandas, atque adeo inprimis, quae utile ab honesto separet, temeritati quasi ansam dedit. Ex quo aurum igitur illecebris suis hominum animos allicere ad se, et cupiditatibus effrenatis quasi irretitos habere coepit, morum disciplina exolevit, et officium, quod in tribuendo suum cuique consistit, et re-

rerum contractarum fides perierunt. (*) Etenim ex auri nimia cupiditate quantum malorum profluxerit, nemo, qui vel leviter mentis humanae sibi comparavit notitiam, est qui ignoret. Bene et ad rem accommodate, de auro locutus Anacreon (cujus licet tota poesis amatoria, sit teste CICERONE *Tusc. Quaest. IV*, 33., continet tamen egregias sententias et ad recte vivendum praecepta idonea)

> δια τουτον ουκ αδελφος,
> δια τουτον ου τοκηες,
> πολεμοι, φονοι δι αυτον,
> το δε χειρον, ολλυμεσθα
> δια τουτον οι φιλουντες.

Vid. Ode 46. idem ille argute istam cupiditatem irridet Ode 23. Omnes poetae, morum illi magistri, a Deo munere aliquo generi humano commendati,

 quos

(*) *Quam egregie illud expressit* PROPERTIUS *III.* 11. 48!

> Aurum omnes victa jam pietate colunt
> Auro pulsa fides, auro venalia jura:
> Aurum lex sequitur, mox sine lege pudor.

quos qui non admiretur, nullus eſt animo tam agreſti atque duro, omnes inquam in hoc unum conſpirarunt, ut vitium illud exagitarent. (*) Quam egregie Polydorum a Thraciae Rege, fracto hospitii jure, eo animo, ut auro ejus potiretur, interemtum, quaſi in tabula VIRGILIUS propoſuit, adeo ut nemo non cum poeta exclamet.

*Quid non mortalia pectora cogis*
*Auri ſacra fames?*

*Vid. Aen. III.* 49. *ſq.* Quantopere eſſet exoptandum, homines ſemper Horatiana illa meminiſſe. *Carm. L. IV. Ode* 9. *vs.* 45.

*Non*

(*) *Vid.* LUCRET. *III.* 59—66. SENECA *in Hippolyto vs.* 516 *ſq.* TIBUL. *II.* 3, 35. HORAT. *Carm. III. Ode* 16. *illosque e recentioribus ſecutus* BOILAVIUS *Epit.* 5. *Oper. T. II. p.* 74. *de amore vero venali et corrupta pretio fide poetae Erotici inprimis legantur. multa dederunt* BROUKH. *et* HEYNIUS *ad* TIBUL. *I.* 4, 57. *et II.* 4, 27. *Caeterum dictum Ciceronis bis adjicere non alienum ſit.* Eſt, *inquit*, pecuniae fugienda cupiditas: nihil enim eſt tam anguſti animi, tamque parvi, quam amare divitias; nihil honeſtius, magnificentiusque, quam pecuniam contemnere, ſi non habeas: ſi habeas ad beneficientiam liberalitatemque conferre, *de Offic. I.* 20.

*Non possidentem multa vocaveris*
*Recte beatum. Rectius occupat*
*Nomen beati, qui Deorum*
*Muneribus sapienter uti,*
*Duramque callet pauperiem pati,*
*Pejusque leto flagitium timet.*

Ab illa auri cupiditate Avaritiam, fidei, probitati, caeterisque artibus bonis infestam, generis humani corruptricem, (*) jus bonumque, quod apud homines non legibus magis, quam natura olim valebat, subvertentem, originem duxisse si dixerim, dixero id, quod est verissimum: per illam eandem hebescit virtus, superbia et luxuria regnarunt, pudicitia prostrata fuit, verbo boni mores in praeceps lapsi, hominesque, ut SALLUSTII verbis utar *in Bello Catil.* C. 10. *aliud clausum in pectore, aliud in lingua promtum habere coeperunt.* Quae ratio,

(*) *Bene* OVIDIUS *Fast. I.* 215.
- - - - quibus intumuit suffusa venter ab unda,
Quo plus sunt potae plus sitiuntur aquae.
*Conf. Horat. Carm. L. II. Ode* 2. *vs.* 13. *sq.*

tio, quod mortales, rationis inperium detrectantes, aeternisque illis et in mente humana conditis naturae fautricis ope praeceptis ſuum cuique tribuendi, neminem laedendi, et honeſte vivendi obſervantiam negantes, ſuppliciorum metu tanquam freno coacti a ſcelere deterrendi eſſent. Utinam ea etiam mihi eſſet facultas, qua felicem illum ſtatum, quo homines jus et aequum obſervabant, ſed deinde in pejus converſum quaſi in pictura exhiberem. Hoc ex rei dignitate fruſtra quis contendat, qui mentis humanae notitiam non ſit aſſecutus, nec facultatis, quae in exprimendis imaginibus, unde vivae, ut Horatius ait, ducantur voces, conſtat, vim teneat. Lectores ideo Poetas, hac in re verae elegantiae magiſtros, doctosque naturae imitatores, adeant. Illos excitarunt BROUKH. ad TIBUL. *I.* 3. 35. BURM. ad LOTICH. *T. I. p.* 262. J. DE BOSCH (cujus eruditionem verae elegantiae guſtu ornatam nunquam ſine invidia quadam recordor) *Antwoord op de vraag over de regelen der dichtkunde, p.* 178 *ſq.* Hanc

Hanc nostram ratiocinationem, quae originem jurisjurandi attingit, si, adductis e prisca historia exemplis, probare vellemus, prius scribendi facultas, quam exemplorum copia deficeret. Quicunque enim Philosophorum more in historicorum scriptis habitat, hoc ad suam utilitatem inde referat, quod, quo magis apud gentem quamcunque divitiae augeantur et in pretio sint, eo magis earum comites luxuriam, inertiam, avaritiam, atque adeo perfidiam invalescere sibi persuadeat. Quantopere homines divitiis onusti a juris et bonae fidei tramite recedant, Hispani docuerunt, qui post Peruviam devictam crudelitati et perfidiae ita se dederunt, ut ipsam quasi barbariem superarint. Conf. ROBBERTZ. *Hist. Amer. T. III. p.* 399. ed. Nova Rotterod. Ao. 1779. (*) Quid? quod

(*) *Quid immanius? quid atrocius? quam id, quod captis urbibus Nardenia et Antverpia contra datam fidem commiserunt: de Naardenia Vidd.* WAGEN. *V. H. T. VI. p.* 405. *sq.* WATSON, *Hist. Philippi II. T. II. p.* 272. CERISIER Tableau de l' Hist. des Prov. Un. *T. III. p.* 203. *de Antverpia vero iidem* WAGEN. *T. VII. p.* 130. CERISIER *T. III. p.* 301. *et* WATSON *T. III. p.* 15. *sq.*

quod Resp. Rom. e parva origine, civium integritate, fideque, ad ſummum gloriae faſtigium cum eſcendiſſet, tandem aliquando auri cupiditate concidit, cum cives in vitia proni perfidiae perjuriique documenta proferrent: quid inde necesſaria conſecutione evenerit, quis in hiſtoria Romana adeo hoſpes eſt, qui neſciat? majores nempe religioſiſſimi mortalium (tales enim fuiſſe plus ſemel teſtatur GELLIUS *N. A. VII.* 18. et *XX.* 1. *no.* 60. ne alios excitem) probe ſcientes, Remp. nulla alia re magis contineri, quam fide, qua, ut egregie DIONYS. HALIC. *Antiq. Rom. II. C.* 75. *ουτε μειζον, ουτε ιερωτερον παθος ανθρωποις ουδεν*, illam pro numine habuerunt, eique a Numa Pompilio templum primo, (Vid. DION. HALIC. *l. c.* et LIV. *L.* 1. *C.* 21.) ab Atilio autem Calatino iterum dicatum, a Marco vero Aemilio Scauro renovatum eſt. Vid. CICER. *de N. D. II.* 23 et *de Legg. II.* 11. (*) Sic clariſſimos

(*) *Moris nimirum ab Antiquis populis recepti rationem exhibet* CIC. *de Legg. l. l.* ut illa (*templa*,) qui

mos cives Resp. enixa est, quorum in animis assidua Deorum cura insideret, Curium, quem aurum a Samnitibus oblatum repudiantem praedicat CICERO *de Sen. C.* 16. (*) Regulum, cujus tanta magnitudo animi erat et fortitudo, ut suppliciorum metus illum avertere non posset, quo minus hosti datam fidem servaret, et patriae commoda tueretur. Quid Paullum Aemilium, qui ex omni Macedonum gaza nihil domum suam, praeter nominis sempiternam gloriam detulit? Quid denique alios laudem? quorum nomina et facta omnium gentium litteris celebrantur. Quantum autem post devictam Asiam et Carthaginis interitum illa eadem Resp. a Majorum moribus et institutis degenerarit, pudet referre. Utinam hunc fructum ex recordatione earum re-

qui habeant, Deos ipsos in animis suis collocatos putent. *Sic Romani Menti templum dicarant. Vid.* CIC. *l. l. conf.* OVID. *Fast. VI*, 241. *Sic Pudicitiae Romae erat sacellum a patriciis dicatum, a quo cum Plebejas arcere vellent, a Virginia Volumnio Cos. nupta* Pudicitiae Plebejae *ara est extructa. Vid.* LIV. *L. X. C.* 23.

(*) *Dignus igitur ille qui laudetur a poetis Vid.* BENTLEJUS *ad* MANIL. ASTRON. *L. I. vs.* 785.

rerum, quae ante nos actae sunt, perciperemus, ut fidem, probitatem, et antiquos Majorum mores aemularemur, pecuniae nimiam cupidinem, luxum, perfidiam praesertim angue pejus et cane fugeremus! —— sed in viam.

Jam vero quoniam perfidia, per mores depravatos in dies ingravescens, remedio quodam indigere videbatur, quo generi humano perniciosissima restringeretur, nullum efficacius ne fingi aut cogitari quidem potuit, quam illud, quod consistit in jurejurando, quo ad adstringendam fidem nullum vinculum arctius esse potest. Vid. CIC. *de Offic. III.* 31. quo (ut definitionem supra memoratam repetamus) *Deus testis veriloquii et vindex falsiloquii invocatur*, atque adeo non judex humanus quis, sed ipsum Numen supremum vindex constituitur, et futurae ac sempiternae poenae metu religio ista confirmatur: sic enim homines ad servandam fidem *eo firmius adstringuntur metu divini Numinis omniscii et omnipotentis, cujus vindictam per jusjurandum in se* in-

*invocant:* ut fcripfit PUFFEND. *de O. H.* et *C. I,* II, 2.

Quae cum ita fint, effe autem ita fatis evictum effe arbitror, quis mihi non affentiatur ftatuenti, jurisjurandi ufum licitum effe, quamvis hominum perverfitati ejus origo fit tribuenda. Nec quis mihi jure fuccenfeat, fi multorum fententiae, jurisjurandi ufum a Chrifto effe vetitum ftatuentium, me non adfcribam. Atque jam eo proceffit disceptatio, ut quaeftio, tam acerbe cum inter Patres Ecclefiae, tum inter viros ingenio et eruditionis fama praeclaros agitata, licitum fit fecundum praecepta CHRISTI jurare, nec ne, fit pertractanda. Omnis autem haec quaeftio ad loci facri MATTH. V. 33. intelligentiam referatur.

Ab hujus loci interpretatione non parum abfuit, quin opinionum varietas hominumque diffenfus me deterreret: fed, ut de fermone divino meam fententiam exponam, cum inftituti ratio a me exigere videatur, illud, quantum eft fitum in me, peragam et exequar.

Illud μη ομοσαι ολως quasi ansam dedit sententiae, quam Patres Ecclesiae nonnulli protulerunt, ac si CHRISTUS omne omnino jusjurandum vetuisset. Omnes Patrum S. S. locos excitare, eosdemque refellere longum est; praeterea quo minus id faciamus, obstat diligentia WALCHII, qui omnes omnino locos in peculiari dissertatione contulit, quocum conferri meretur honoribus non magis, quam eruditione nobilis WICHERSIUS in dissertatione Philosophica morali *de moralitate juramentorum. Cap. II. p.* 11. Non solum viri doctissimi, quos modo excitavi, sed etiam alii sunt, qui sententias illorum, qui jurisjurandi usum à Christo prohibitum existimant, argumentis refellant idoneis. Vidd. GROTIUS ad hunc Matthaei locum. Idem *J. B.* et *P. II.* 13, 21. SPENCER. *Legg. Ebraic. Ritual. p.* 32. COCCEJUS *in jure controverso ad D. Tit. de jurejur.* OTTO ad PUFFEND. *de O. H.* et *C. I.* 11, 2. KOECHERUS *annotat. ad* HUGONEM GROTIUM *de V. R. C. T. II. p.* 198.

*p.* 198. (*) alii. Et profecto, si ad rationem Philosophicam rem perpendamus, illos, qui jurisjurandi usum tollant, erroris arguere, non erit difficile. Nimirum, uti omnes gentes erant comparatae, ita Judaei ad jurandum erant proclives (quod vel notum illud, μητε φαγειν, μητε πιειν, Actor. *XXIII.* 12. evincit) et vero etiam ad fidem dictorum confirmandam formularum multitudine utebantur. Ipsi disciplinae moralis et religionis sacrae magistri his formulis omnem vim negabant, atque nullam exinde obligationem oriri opinabantur. CHRISTUS ergo, pro ea, qua erat, sapientia, bene intelligebat, multum detrimenti ab hoc more in civitatem redundaturum, cum ita juranti nulla fides haberi posset, excipienti, nullam vim tali jurijuran-



(*) *Etenim mihi quidem verum vidisse non videtur V. C. cum e* GROTII *verbis l. l. L. II.* §. 16. lex Christi jurejurando extra necessitatem vult abstineri, et ita coli veracitatem in quovis sermone, ut jusjurandum a nobis ne exigatur quidem: et *L. IV.* §. 12. juramento, quantum fieri potest, abstinendum, *conclusit, auctorem eorum partibus favisse, qui jusjurandum probibent.*

rando inesse; praeterea non ignorabat, formulas ipsas a rebus desumtas tacite ad Deum referri, atque ita saepenumero perjurium, gravissimum illud crimen, committi. Quid igitur? depravato huic mori frenum velut imponi e re fore visum est, atqne adeo JESUS OPT. MAX. omnino has jurisjurandi formulas prohibuit. Quod si observemus cum HEINSIO *Exercitat. p.* 27., post ὁλως punctum delendum esse, non possumus non statuere, CHRISTUM, si re vera legem divinam abrogare voluisset, dicturum fuisse, *ne iurate omnino neque per Deum neque per coelum*, etc. Jam vero, cum illud omiserit, plurimorum Interpretum, praeceptum Christi ad formulas referentium, sententiae, nostram adscribere nulli dubitamus. Et sane, jurisjurandi usum e civitate bene constituta tollere CHRISTUM minime voluisse contendimus. Quomodo enim fieri posset, ut ille, qui de se ipse testatur vs. 17. se non venisse, καταλυσαι, ἀλλα πληρωσαι τον νομον, legem Dei (quae *Deut.* VI. 13 legitur) et alteram il-

lam,

lam, a se laudatam, ουκ επιορκησεις, αποδωσεις δε τω κυριω τους ορκους (quod simpliciter, *jurabis per dominum*, cum KYPKIO in *Observat. sacris T. I. p.* 27. vertere non dubito) si dicto suo consentaneam agendi rationem institueret, tam facile abrogaret? Atque idem ille, qui mentis humanae omnem notitiam erat assecutus, et homines ad perfidiam pronos intelligebat, jusjurandum, quod in civitate auctoritate legum et magistratus comprobatur, improbaret? Quid? quod ipse ad temporum rationes se accommodans juravit. Vid. MATT. XXVI. 64. Quid PAULLUM Apostolum memorem? (*) qui profecto non jurasset, si jusjurandum vetitum novisset. Praeterea CHRISTUS *leges ceremoniales* quidem abrogare poterat, minime vero illas, gentibus omnibus communes, ab ipso Deo confirmatas, et per rectam rationem promulgatas. Etenim recta ratio omnes homines docuit, si quid desideretur, quod remedio adhibito comparari possit, remedium illud esse adhibendum.

 Jam

(*) *Rom. I. 9. Corinth. II. I. 23. et XI. 35.*

Jam vero, perfidia ingravescente, quodnam aliud remedium excogitari potuit commodius jurejurando? Sic CHRISTUS (qui minime perfonam legislatoris civilis fuftinebat) doctor moralis homines a temere adhibito jurejurando in fermone quotidiano (namque illum de fermone quotidiano egiffe, evincit vocabulum λογος commate 37.) deterret, cum ejusmodi doctoris fit, hominum vitam privatam judicio fuo fubmittere, quae vero ad ftatum civilem attinet, Magiftratibus relinquere. Chriftum vero femper hanc perfonam fufcepiffe, ut evincatur, non longe quaerantur exempla.

Ex lege divina, uti CHRISTUS monet commate 21, capitali poena tenetur ille, qui alterum interemerit. At vero doctor moralis poenam aeternam conftituit in illos, qui convicia tantummodo in alterum congererent. Nemo unus fane reperietur, qui id praeceptum hanc in rem datum effe contendat, ut in civitate re vera in calumniatores ex eo animadverteretur. —— Similiter JESUS OPT. MAX. adulterium a Deo prohibitum

tum memorat. Quid autem ipſe? in intimos hominum animos penetrans vel cogitationem adulterii poenae ſubjecit, et hanc iterum legem in civitate ferri non poſſe, vere mihi videor exiſtimare. Quid? quod nullam aliam rationem divortii admittit παρεκτος λογου πορνειας. (*) i. e. non tantum adulterium, uti Belgae verterunt, ſed omne illud, quod huic crimini quaſi anſam praebet. Et hoc etiam legislationi civili applicari non poſſe, contendo, quoniam plures eaeque juſtae divortii cauſae reperiuntur: quare hac in re PAULLUS Apoſtolus paululum deflexit a CHRISTI monitis. Vid. ad Corinth. *I.* 7. 10, ſq.

Quae cum ita ſint, non neminem conſentientem mihi me habiturum confido, ſi, CHRISTUM tantummodo peſſimum illum temere jurandi morem caſtigare in animo habuiſſe, affirmem. Cum verba, tum res ipſa in hanc ſententiam nos deducunt. Atque adeo ad hanc



(*) *Bene mihi egiſſe videtur* MICHAELIS, *qui non neminis conjecturam*, πονηριας *legentis pro* πορνειας, *improbavit. Vid.* Legg. Moſaic. *T. II. p.* 340.

rationem Christiana morum disciplina a Graecorum Philosophorum institutis diversa sit, (*) non secus atque ab ultione, adversus male meritos privatis concessa, de qua commate 38. οφθαλμον αντι οφθαλμον. κ. τ. λ., ad quem locum Vid. Cl. LUSACIUS haec scribens: „ Atque ista forte una parte disciplina morum apud Grae- „ cos Philosophos diversa fuit ab ea, quam nos is docuit, „ cui merito displicebat vetus dictum οφθαλμον αντι οφθαλ- „ μον και οδοντα αντι οδοντα." Vid. *Exercitat. Academ. Cap.* 8. *p.* 153. et conferantur, quae supra diximus.

. Sic igitur ad jurisjurandi usum servandum obstringimur, donec felicia ista tempora appareant, quibus homines veritatis amore ducantur adeo, ut nobilis dicti memores,

Ατρεκεια δ' αριστον ανδρος εν πολει δικαιον πελει.

(vid. STOBAEUS *Serm.* 39. *p.* 241.) EPAMINONDAE (qui CICERONIS judicio princeps fuit Graeciae

*Tusc.*

(*) *Formulas enim a Philosophis admissas fuisse, infra docebimus.*

*Tusc. Quaest. I.* 2.) virtutem imitentur, quem CORN. NEPOS testatur in vita C. 3. adeo veritatem dilexisse, ut ne joco quidem mentiretur; tum ad Xenocratem imitationis curam referant, cui tanta fides habebatur, ut, quo minus juratus testimonium diceret, cum jam ad aras accesssisset, una voce omnes judices reclamarent. Vid. laud. *dans le voyage d'Anacharsis en Grece. T. II. p.* 281. Edit. Bipont.; denique barbaros Scythas sequantur, qui in egregia illa oratione ad ALEXANDRUM MAGNUM habita apud CURT. *VII.* 8, 29. de se ipsi dicunt: *jurando gratiam Scythas sancire ne credideris, colendo fidem jurant. Graecorum ista cautio est, qui pacta* (haec enim BONGARSII emendatio admittenda videtur, Vid. FREINSH. ad h. l.) *consignant et Deos invocant. Nos religionem in ipsa fide novimus: qui non reverentur homines, fallunt Deos.*

## §. III.

A jurisjurandi definitione, originisque investigatione, ad divisiones diversaque genera ut progrediamur, instituti ratio ferre videtur.

Jam primum quidem monendum est, jusjurandum esse vel *promissorium* vel *assertorium*, quod iterum sive *voluntarium*, aut *necessarium*, vel denique *judiciale* est.

Promissorio jurejurando, ea, quae paciscimur, vel quae promittimus servaturos nos, addita Numinis supremi invocatione, habita semper temporis futuri ratione, affirmamus. At vero ex jure civili Romanorum ejusmodi religiosa affirmatio, facta inter privatos sine sollennitate judiciali, nullam vim obligandi sortitur. Vid. VOET. *Comment. ad D. T. I. p.* 633. conf. NOODT. *Oper. T. II. p.* 279. et BARCLAJUS *in Comment. ad D. de jurejur. C.* 3. (*Thes. Jur. Ott. T. III. p.* 616.) Id autem ne cui fortasse mirum videatur, et a justitia, a qua nullo omnino tempore vacandum est, abhorrens,

(so-

(solent enim homines saepenumero praejudicatis opinionibus imbuti res, quae sub oculos cadunt, dijudicare, illasque pro ea, quam tuentur, sententia, modo laudare, modo vituperare) ne id igitur fiat, res paulo diligentius investigetur.

Ex juris naturae principiis pacta sunt servanda: quicquid ergo promiseris, id tenendum est. Quod quidem recta ratio omnes mortales docuit, et, cum in fide colenda sita sit magna honestas, in negligenda autem turpitudo, uno et pari consensu sapientes comprobarunt. Quae quamvis ita sint, fuerunt tamen nonnulli, qui ad juris Rom. normam se conformantes nullum pactum, quod non in contractum abiisset, obligandi vim habere crederent.

Qui hos secutus est, FRANCISCUM CONNANUM ICtum Gallum refutat GROTIUS *J. B. et P. L. II. C.* II. *init.* Illius tamen eruditione minime vulgari praestantis viri patrocinium nonnulli susceperunt, atque illum in ea sententia non fuisse contenderunt. Vid. BARBEY-

RA-

RACIUS ad PUFFEND. *J. N.* et *G. L. III. C.* 599. Cum autem, an re vera ita censuerit CONNANUS, inquirere nihil attineat, id tantum observemus, pacta esse servanda, quod adeo veritati consentaneum est, ut res disputatione non egeat. conf. OTTO ad PUFFEND. *de O. H.* et *C. I.* 9. 3. At vero jure civili res aliter comparata est, cum ad mores hominum accommodatum illos, non quales esse debent, sed quales sunt, considerat. E contrario autem secundum jus naturae, per rectam rationem a Deo promulgatum, mortales perfecti habeantur, iidemque ratione duce viventes. Quoniam igitur legislatoris civilis est, in perspicientia ejus, quod necessitatis est, sollerter versari, et magnum studium multamque operam conferre in id, quod civibus conducat, magnam sapientiam et prudentiam in statuendo id, quod in re quaque optimum sit, et in investigando, quo potissimum modo ea, quae vitiosa sunt, tollantur, ponat necesse est. Jam vero cum Romani, homines faciles ad promittendum, ad exe-

exsequendum autem ea, quae vel jurati promiserant, tardiores esse, perspicerent, et vero etiam inde perjuria, rixas, caedes denique originem ducere deprehenderent, probe scientes, litium numerum augeri identidem nequaquam esse e re civitatis, vim pactis nudis et jurijurando promissorio ademerunt, atque adeo actionem civibus suis ex tali pacto denegarunt. Vid. PAULLUS *Recept. Sentent. L. II. Tit.* 14. *init.* Itaque cum jusjurandum promissorium majorem vim pacto nudo non habeat, necessaria consecutione, neminem hoc praestito caussam suam firmare, efficitur. At hoc non eo valeat velim, ac si nunquam in foro Romano tale jusjurandum adhibitum censeam, cum hoc tantummodo velim significare, jusjurandum promissorium extra judicium factum nullam obligationem sortiri, sicut etiam non confirmat contractus, contra jus civile initos, qui caeteroquin juri naturae non repugnant. Sic v. c. in mutuo, si, quod solvi justo tempore debet, non solvatur, minime usurae exigi possunt, (licet pa-

cto

to nudo ſit conſtitutum, uſuras eſſe ſolvendas) quia pactum contractui ſtricti juris adjectum non obligat. Quid? quod pupillus, ſi contractum ineat cum altero, licet juratus non obligatur, quoniam in jure civili ſine auctoritate tutoris interpoſita nihil agere cenſetur. Vid. *L.* 25. §. 1. *D. quando dies legat.* et *L.* 43. *D. de Obligat. et Act.* Contra libertus jurejurando officia et operas (de quibus vid. CUJAC. *ad Inſt. L.* II. *Tit.* 9. §. 3.) patrono ſi praeſtandas ſpopondiſſet, tenebatur vid. *L.* 7. §. 2. *D. de Oper. Libert.* —— Verum enim vero hac in re jus Canonicum a jure Romano divertere, moneatur, cum omne jusjurandum, niſi quod aeternae ſaluti obſtet, ſervari velit. Vid. HUBER *Praelect.* ad *D. Tit. de jurejur.* conf. BARCLAJUS ad *D. Titulum eundem C.* 3. (*Theſ. Jur. Ott. T. III. p.* 916.) Romani autem cauti et prudentes, quemadmodum expoſuimus, conſtituiſſe videntur. Etenim vanum jurisjurandi uſum ita ſuſtulerunt, quod, ſi in minimis negotiis adhiberetur, ſanctitatem et vim moralem

lem vix tueretur. Adde, si contractus, qui legibus repugnant, assumto jurejurando firmentur, facile leges obsoletas jacere, et nullius momenti jus civile et esse et haberi, quod quidem patriarum quoque legum latores cognitum habuerunt et perspectum, cum statuerent, jusjurandum legibus contrarium nullam habiturum obligationem, quemadmodum observat VOET. *Comment. ad D. Tit. de jurejur.*

De prima jurisjurandi divisione cum breviter, quantum quidem per argumenti gravitatem fieri potuit, a nobis dictum sit, ad alteram transeamus.

*Assertorii* jurisjurandi partes ita inter se colligatae sunt atque implicatae, ut omnes ad litem dirimendam et ad usum forensem sint comparatae, quamvis in explicanda quaque specie interpretes in contrarias sententias distrahantur. Ipsi Graeci et Latini jam ante nos ea de re dissenserunt, cum hi *necessarium* vocarent, quod illi *judiciale* dicerent. HUBERUS *in Prael. ad D. Tit. de jurejur.* secutus CUJACIUM (a quo diversa

versa statuit MERILLIUS, quem iterum satis acerbe refellere conatur OSIUS AURELIUS *de Variant.* CUJACII *Interpret. Dispunct. XVIII.*) (*Thes. Jur. Ott. T. III. p.* 735.) CUJACIUM ergo secutus *voluntarium* esse statuit, quod alteri ab altero, conventione inita, sive in judicio, sive extra illud defertur: *Necessarium* vero, quod delatam ab adversario jurisjurandi conditionem in eum transfert: *judiciale* denique, quod, jubente judice, ab una alterave parte praestatur. Ita HUBERUS. Rectius, mea quidem sententia, VOETIUS (cum quo facit BARCLAJUS loco plus semel laudato) *voluntarium* vocat illud, quod pars parti defert, vel refert extra judicium, sive, ut ait VINNIUS *Select. jur. Quaest. L. I. C.* 42., *ante coeptum judicium sive ante litem contestatam.*

Bene autem hoc *voluntarium* dicitur, cum nullus ad jurandum cogatur, et nemo sit, qui judicis personam induere possit. In judicio vero, ubi relatum est jusjurandum, praestetur necesse est, cum judex is sit, qui

qui cogere queat. Ergo hoc jusjurandum in judicio praestitum *voluntarium* posse nominari, non adducor, ut credam, et potius ad ejusdem VOETII, hoc *judiciale* esse statuentis, sententiam meam adscribo; praeterea *necessarium* illud esse putant, quod judex actori vel reo defert. conf. VOETIUS et BARCLAJUS *l. l.* adde VINNIUM *Select. Jur. Quaest. L. I. C.* 42 *et* 43.

Hoc loco inprimis erit agendum de jurejurando, quod, sive defertur sive refertur, in judicio praestari solet. Omnes personae, quae liberam rerum suarum habent administrationem, jusjurandum soli deferre possunt: nam, cum deferendo jurejurando quis cum rem suam, tum jus quasi alienet, et lis omnis a jurejurando, quod praestet ille, cui defertur, pendeat, nemo certe jus suum alienare potest, nisi rerum suarum dominus sit. Ergo patresfamilias, tutores et curatores pro illis, quos tuentur, quorumque bona curae suae sunt commissa, civitatum patroni (victores enim regionum devictarum incolas in fidem recepisse,

illorumque patronos fuiſſe, nota res eſt. Vid. CIC. *de Offic. l.* II.) ea tamen lege, ut mandato ad id negotium exſequendum ſint inſtructi, recte ita jusjurandum deferunt. Excipiuntur igitur pupilli, quos ſine auctoritate tutorum nihil agere poſſe, ſupra vidimus; ſervi etiam, ne in damnum dominorum jurent, prohibentur, cujus rei ratio evidens eſt, cum, quicquid ſervus acquirebat, domino acquireret, atque adeo, illo non conſentiente, nihil acquirere poſſet, nemini quippe invito rei cujusdam acquiſitio obtrudebatur: atqui deferendo jurejurando in negotiis pecuniariis dominium, ſi adverſarius cauſa caderet, ad ſervum perveniret, qui caeteroquin in judicio perſonam non habebat. Poſtquam vero peculium ſibi conſtituere ſervis licitum erat, (quod apud Athenienſes obtinuiſſe, novimus) ſervi jusjurandum deferebant, ſi iſtius peculii liberam haberent adminiſtrationem. Vid. *L.* 20. *D. de jurejur.* Qui delirarent menteque capti eſſent, in judicio nihil agere potuiſſe, res ipſa loquitur, atque eandem fuiſſe prodi-

go-

gorum rationem, qui ne audiendi quidem sunt, docet *L.* 35. §. 1. *D. de jurejur.* Quibus vero deferatur jusjurandum, nihil refert, inquit PAULLUS *L.* 26. *D. h. t. cujus sexus aetatisve sint.* In quo tamen, quemadmodum multis visum est, non sibi assentientem habuit ULPIANUM, qui *L.* 34. §. 2. *h. t.* scripsit: *Pupillo non defertur jusjurandum.*

Inventi itaque multi sunt, qui super hac re legislatores in contrarias sententias discessisse, sibi persuaderent. Facile autem dijudicetur quaestio, si, missis aliorum sententiis, cum HUBERO in *Praelect. ad D. h. t.* observemus, ULPIANUM de jure, PAULLUM vero de facto locutum esse. PAULLUS quidem pupillum jurare volebat, cujus affirmationis ea vis esset, qua adversarius causa caderet; at, si nollet, non obstringebat *L.* 38. *D. h. t.* qua cautum: *manifestae turpitudinis et confessionis esse, nolle nec jurare, nec jusjurandum referre.* Quare dictum ULPIANI, *jusjurandum non defertur pupillo*, ita explicat HUBERUS, nulla cum

confecutione, nulla vi defertur, quia non neceffe eft, juret, et ad jusjurandum nullo modo cogi poffit. Quod autem attinet ad *Princ. L.* 4. *de in litem jur. Pupillus fi inpubes eft, jurare non poteft.* Hoc tantum apud nonnullos valet, ut, quin ULPIANUS pupillum ad jusjurandum non admiferit, nullo pacto iis dubitari poffe videatur. Enimvero jusjurandum in litem ratione caufae tutelaris pupillo non permittitur, adeoque non de jurejurando, quod ab adverfario volente pupillo defertur, fed de eo, quod adverfus invitum praeftari folet, agitur. Quin hoc modo contrarium ejus, quod Interpretes voluerant, ex lege elici poffit, cùm exceptio firmet regulam in cafibus non exceptis. Porro obfervemus, ex eadem lege clarum effe et apertum, tutores invitos ad jusjurandum de facto patris, cujus nullam plane notitiam habent, cogi non poffe, conf. Cl. LEYSERUS *Meditat. ad Pandect. Sp.* 136. *n.* v. Neque etiam cogitur Procurator vid. *L.* 34. §. 3. *D. de jurejur.*

Servis quin jusjurandum deferri nequeat, fi de capite

pite aut commodo dominorum agatur, hac potiſſimum ratione adducimur, ut credamus, quod nullo pacto contra dominos interrogari poſſint, atque id non tantum in cauſis pecuniariis obtineat, verum etiam in omnibus aliis, ſi graviſſima adulterii, fraudati cenſus, et majeſtatis crimina excipias. Vid. *L.* 1. *C. de Quaeſtion.* quam legem difficilioris interprètationis, levi adhibita emendatione, egregie illuſtravit NOODT. *Probabil. L. III. C.* 5. Neque ſolum non interrogari poterant contra dominum, in cujus juſta ſervitute erant, ſed ne contra illum quidem, cui aliquando ſervierant. Vid. *L.* 18. §. 6. *D. de quaeſt.* (*)



(*) *Non potuiſſe ergo adhibitis tormentis in dominos interrogari, res ipſa loquitur. vid.* CIC. pro Rege Dejot. Cap. 1. *More ſuo illud jus eluſit* TIBERIUS, *qui ſervos vendi jubebat, dein torqueri, vid.* TACIT. Annal. II. 30. *in quo tamen* AUGUSTUM *ducem ſecutus eſt, ut ex* DIONE CASSIO *ad* TACITI *locum laudatum monet* LIPSIUS. *Porro* CICERO *teſtatur pro* MILONE *C.* 22. *de ſervis nullam quaeſtionem eſſe in dominum, niſi de inceſtu. Quod ſecus apud Atbenienſes, ubi Actor quaeſtionem ſervorum poſtulabat.* Vid. Voyage d'Anacharſis en Grece. *T. II. p.* 294. *atque ingenioſiſſime auctor addit.* Conçoit-on qu'on exerce une pareille barbarie contre des hommes, dont il ne faudroit pas

Verum enimvero in deferendo jurejurando ita semper, et in omnibus negotiis ratione servorum constitutum fuisse, cave putes: nam eorum jurijurando religio non denegabatur. *L.* 25. *ff. de jurejur.* Iccirco servo, delata conditione, in judicio jurante, istud jusjurandum dominum ad exceptionem ducebat. Vid. *L.* 23. *ff. eod.* Adde jusjurandum dominis ante manumissionem praestari solitum. vid. *L.* 44. *D. de liberali causa.* Illud servos non civiliter quidem obligabat, sed tamen sua religione eos ita dominis devinctos reddebat, ut patronis post manumissionem rursus jurejurando operas pollicerentur,

Ex

pas tenter la fidelité, s'ils sont attachés a leurs maitres, et dont le temoignage doit etre suspect s'ils ont a s'en plaindre. *Addere potuisset, nihil magis judicis officio esse contrarium, quam quaestionem adhiberi, qua eruatur veritas, si veritatem dicere possim illud, quod, ut doloribus liberentur, miserabiles fateantur. qua immanitate quid detestabilius fingi aut inveniri potest? recte igitur defunctus* SUECIAE *Rex,* GUSTAVUS *Magnus detestabilem illam immanitatem e foro suo exulari jussit. Vid.* CATTEAU Tableau de la Suede, *T. I. p.* 128. *quod recentioribus temporibus multi quoque Principes fecerunt.*

Ex dictis ergo, quale sit illud jusjurandum, quod in judicio defertur, intellectum puto. Sequitur, ut, quando et quo casu illud praestetur, videamus. Secundum VOETIUM in *Comm. ad D. L.* 10. *de jurejur.* illa delatio in quacunque causa civili (in criminali vero non, quemadmodum observat LECTIUS *in libro singulari ad* AEMIL. MACRUM *de Publ. Judic. p.* 71. Vid. *Thes. Ott. Tom. I.*) obtinet, atque adeo etiam in causis pecuniariis, vid. PAULLI *Recept. Sentent. L. II. Tit.* 1. §. 1., quod PLATO Philosophus arguebat, propter exiguam reverentiam erga Deos, qua saepenumero quis adduceretur, ut, lucri spe, si ad se inde commodum perveniret, religionem contemneret: vid. SCHULTING. *in Jurisp. ante Justin. p.* 267. Apud Romanos vero, ubi in judiciis tanta fides existimabatur, ut cum alteri quis ita damnum dedisset, ut in legem AQUILIAM incideret, in duplum convictus condemnaretur, si injuriam a se illatam esse negaret; Vid. §. 26. *Inst. de Action.* conf. *L.* 2. §. 1. et *L.* 23. §.

10. *D. ad Leg. Aquil.* apud Romanos ergo, in rebus pecuniariis admitti licebat. Sed haec quidem hactenus. Poſt jusjurandum ab actore delatum contrarium de calumnia jusjurandum reo competit. Vid. PAULLI *Recept. Sentent. L. II. Tit.* 1. §. 2. et leges, quas excitat SCHULTINGIUS in *Jurisp. Antejuſt. p.* 268.

Cum homines adducantur maxime, ut eos juſtitiae capiat oblivio, in litibus inſtituendis ita ſunt acerbi, ut, omnia maxime ſuis commodis metientes, nullum in anquirendo lucro, quod cum damno adverſarii ſibi acquirere ſperant, modum teneant. Intempeſtive itaque ad litigandum accedunt, alios inpudenter in jus vocant, aſpere ac contumelioſe cum illis agunt, neque, licet petitionem ſuam inverecundam eſſe videant, planeque intelligant, facile adduci poſſunt, ut ab altercationibus inutilibus deſiſtant ac deflectantur. Itaque jam olim pravae huic conſuetudini, civitati damnum haud exiguum minanti, medicinam adhibere, legislatoribus e re fore viſum eſt. In id ergo, ut lites con-

tumelia vacarent, manſuetudo et comitas, in pertractandis iis negotiis, de quibus agebatur in judicio, obſervarentur, homines denique non tam libidine altercandi et iracundia, quam juſtitiae ſtudio ducerentur, quo jus ſuum conſequi poſſent, multam operam conferebant. Igitur cum apud alias gentes, (*) tum apud Romanos, de calumnia jurari jubetur, *Ne quis alia ratione*, inquit PAULLUS *l.* 8. §. 5. *D. Qui ſatisd. cog.*,



(*) *E* GRAECIA *jusjurandum de calumnia originem traxisſe cum* JANO A COSTA ad §. 1. Inſtit. de Poena temere litig. *obſervaſſe, non alienum ſit. Ritum in capitis judicio obſervatum apud Athenienſes, infra, ubi de Ritibus erit agendum, exponemus: illum exhibuit Cl.* LUSACIUS Exercitat. Acad. p. 172 ſq. *Apud* ROMANOS *vero, quod hic inprimis obſervetur, Actor et Reus apud Pontificem pecuniam*, Sacramentum *dictam, deponebant, victor recipiebat, victus autem amittebat. Vid.* BRISSONIUS *de V. S. voce* Sacramentum *et* GRON. *ad* PLAUT. Rud. Act. V. Sc. 3. vs. 21. *qui ex hoc more apud eundem* PLAUTUM l. l. tum meo Pontifex perjurio es, *quod alii aliter explicant, ita interpretatur*, tibi ne ob id tanquam Pontifici debetur ſacramentum. *Errat igitur, monente* GRONOVIO, RUD. FORNERIUS, *cum auctoritate hujus loci, male intellecti, Pontifices de jurejurando cognoviſſe ſcribat. Vid.* Theſ. Jur. Ott. T. II. p. 283. *In* HOLLANDIA *aliisque patriae noſtrae regionibus jusjurandum calumniae non eſt in uſu, ſed unusquisque, antequam alterum in judicio accuſare velit, curare debet, ut res ſua ſalva ſit; vid.* HUBER. Hedend. Rechtsgel. p. 773.

*vexandi magis adverſarii cauſa forſitan, cum Romae poſſit ſatisdare, in municipium evocet.* Conſtitutum itaque eſt jusjurandum calumniae, quo Actor, ſe non calumniandi animo litem intendere, ſed, quia ſe juſtam cauſam tueri exiſtimat, querelas ſuas ad judicem perferre, ſollemniter affirmat, pariter ac Reus, ſe non, ut Actori negotium faceſſat, ſed ut impetum ejus injuſtum a ſe repellat, ei contradicere, atque adeo bona fide ſe in litigando verſari, vel, ut legis verba adſcribam, *jurare litigantes volumus, Actores quidem, quia non calumniantes inferant lites: fugientes vero, quia credunt ſatisfactionem competenter ſe facere, et non cauſa contentionis.* vid. *Novella* 49. *C.* 3. conf. VINNIUS in *Comment. ad Inſtit. L. IV. Tit.* 16. a quo tamen non poſſum non divertere in eo, quod ſtatuat, apud veteres uſurpatum jusjurandum calumniae in deſuetudinem abiiſſe, revocatum autem eſſe a JUSTINIANO, licet ipſe Imperator hujus jurisjurandi auctorem ſe jactet. §. 1. *Inſtitut. de Poena temer. litig.* Nimirum jusjurandum, de

quo

quo agimus, jure antiquo cognitum quidem fuit illud et adhibitum, fed tantummodo in iis caufis, in quibus hominum animi proni ad rixas et proclives judicarentur. Eodem jure femper praeftabatur ab una parte, fi judicia mixta excipias, quod non obfervavit JANUS A COSTA ad §. I. *Inftit. de Poena temere litig.* forte quia non diligentius perlegerit *L.* 44. §. 4. *D. de famil. excisc.* conf. BYNK. *Obf. Jur. Rom. L. VII. C.* 9. et VAN DER LINDEN *Supplem. ad* VOETII *Comm. Sect.* I. *p.* 77. Ratio autem, cur judicia mixta excipiantur, non longe eft quaerenda: in judiciis mixtis, calumnia ab utraque parte timenda videtur, in aliis plerisque caufis ab una parte tantum. Atqui, ubi eadem eft ratio, idem fit effectus, ergo cautio ab utraque parte praeftetur, cum ab utraque parte periculum immineat. Juftinianus vero non revocavit ufum jurisjurandi de calumnia, fed illud amplificavit, quoniam ab utraque parte in omnibus omnino litibus adhiberi voluit,

luit, cum antea, ab una modo parte, in quibusdam vero ab utraque obtinuerit.

Enimvero ita conſtitutum jusjurandum de calumnia homines religionis tanquam freno coercet, ne temere judicium adeant, et in litigando contumelioſe verſentur: dignum igitur, quod ad imitationem trahatur, inſtitutum, ſi modo caveatur, ne in minimis negotiis adhibeatur, praeſertim ubi nullus calumniae metus adeſt, ut egregie obſervaſſe mihi videtur LEYSERUS *in Meditat. ad D. Vol. I. Specim.* 740.

Cum aliqua ſimilitudo ſit falſos accuſatores inter, et illos, qui falſo de calumnia jurant, hos lege REMMIA, (*) plane atque illos teneri, ut opinemur, conjectura du-

(*) *Critici dijudicent*, *utrum* REMMIA, *an* MEMMIA *ſcribendum ſit. Illa lege teneri falſos accuſatores docet L.* I. §. 2. *D. ad Sct.* TURPILLIANUM. *At quanam poena illi*, *qui in iſtam legem incidant*, *plectantur*, *non conſtat inter eruditos*, *et hac de re certum quid ſtatuere*, *fruſtra quaeras*; *poenam vero illam fuiſſe*, *qua calumniatorum fronti littera K inureretur*, *nonnulli ad hanc ſententiam verbis adducti* CICERONIS *in Orat. pro* Roſcio Amerino *C.* 20 *exiſtimaverunt. Sed meram hanc eſſe conjecturam putat*

ducimur. Quo quid juſtius? quid praeclarius? Civitatis quidem bene conſtitutae multum intereſt, vitae tum publicae tum privatae cenſores eſſe ſeveriſſimos, qui perditorum civium audaciam contineant: at caveatur neceſſe eſt, ne boni impune ab accuſatoribus circumveniantur (*).

Si rationem, qua adducti legiſlatores jusjurandum de calumnia conſtituerunt, inquiramus, num inter liberos et parentes, atque patronos inter et libertos ex jure Romano intercedat, eſt quod dubitemus. Et ſane, ſi ad rationem Philoſophicam rem exigamus, quo modo fieri poſſit, homines, tam arcto neceſſitudinis et amoris quaſi vinculo conjunctos, tantae dementiae dicamne an impietatis fore, ut criminibus falſis in odium et invi-

*tat* ERNESTUS *V. C. Vid.* Clavis Ciceroniana *voce* REMMIA. —— *Caeterum digna eſt, quae de hac lege legatur commentatio* H. BRENCMANNI, *quam* ERNESTUS *l. l. et* VAN DER LINDEN *in* Supplem. ad VOETIUM *Sect. I. p.* 78. *commendarunt.*

(*) *Laudem meretur ſane mos* HOTTENTOTTORUM, *apud quos accuſatores, ſi accuſationem ſuam probare nequeant, gravi poena afficiuntur. Vid.* D'ORVILLE Hiſt. des differ. Peup. du monde *T. IV. p.* 446.

quod ante litis conteſtationem, (*) et illud, quod poſt eandem conteſtatam praeſtatur: ULPIANUM intellexiſſe primum lege 7. §. 3., poſterius vero lege 34., atque adeo, antequam defertur jusjurandum, recte illud de calumnia exigi, nunquam vero ante litis conteſtationem. Et ſane, ſi rem recte perpendamus, deferentes de calumnia jurare non magis pietati adverſatur, quam quod coram Judice rem ſuam agant. Atque, cum non vivatur cum perfectis hominibus, ſed cum iis, qui, non habita perſonarum ratione, litibus nimis indulgeant, recte JUSTINIANUS conſtituiſſe videtur, id

(*) *Etenim ante litis conteſtationem quoque de calumnia jurabatur. Vid.* NOVELLA 49. *Cap.* 3. *Hoc jusjurandum porro a cauſarum patronis praeſtari, docet* VINNIUS *ad Inſtit. L. IV. Tit.* 16. *et ad eundem locum obſervat* MARCILIUS, *tempore* CICERONIS *non ita factum fuiſſe, ſed hodie, curia ineunte, ad hanc rationem quotannis jurari. In quibusdam tamen cauſis illos multis locis clientis loco jurare, ex jure Canonico derivavit* SANDIUS *L.* 1. *T.* 9. *Def.* 1. — *In Urbe* GRONINGA *jusjurandum calumniae, inſtrumentis probationis jam productis, non amplius admitti, ex Art.* 21. Proc. Ord. voor Burgem. en Raad, *in judicio Inferiori, quod dicitur* Nedergerecht, *ita explicato d.* 29 *Octob.* 1777, *colligi poſſe, mecum amicus quidam nuper admodum communicavit. conf.* Nederger. Prothoc. No. 136. d. l.

id quod firmat conjecturam CANNEGIETERÁNAM, ubi *hanc communem*, inquit, *posuimus legem*, *contra omnem personam modis omnibus hoc nulli concedentes*. Vid. Novella 49. C. 3.

Praestito de calumnia jurejurando, defertur judiciale ab actore, vel a reo, (si huic onus probationis incumbat) quod ille, cui defertur, vel praestare, vel referre tenetur. *Manifestae* enim, inquit PAULLUS *L.* 38. *D. de jurejur. turpitudinis est nolle nec jurare*, *nec jusjurandum referre*. Sic heres fiduciarius (ut hoc utar) cum ob fidem, quam in eo defunctus collocaverat, violatam ei deferatur jusjurandum ab herede fideicommissario, illud praestet necesse est, ne recusans ad solutionem cogatur. *Vid.* §. 12. *Instit. de Fidecom. Hereditat.*

Quemadmodum ille, cui defertur jusjurandum, jurare tenetur, eodem modo actor, si reus sibi delati jurisjurandi conditionem in eum transferat, juret necesse est. Vidd. Interpretes ad *Tit. D. de jurejur.* Hujus

vero affirmationis religiosae id jus, ea vis est, ut, si lis ob illud decisa sit, nihil amplius quaeri possit, et res in judicatae naturam abeat. *Vid. L. 56. D. de Re judic.* Quin et a sententia, postquam illud praestitum est, nulla appellatio obtineat, et jusjurandum majorem vim habeat, quam res judicata. Vid. DESIDERIUS HERALDUS *de rerum judic. auctor. L. II. C. 21. §. 4. Thes. Jur. Ott. T. II. p.* 1261.

His ita expositis, illud genus jurisjurandi, quod a VOETIO *necessarium*, ab aliis autem *judiciale* dicitnr, breviter tractandum est. Est autem illud *suppletorium, quod judex etiam non rogatus defert Actori, qui intentionem semiplene, v. c. per unum testem, probavit ad defectum probationis supplendum*: vel *purgatorium*, quod *judex defert reo, contra quem militant praesumtiones probatione semiplena minores, ut praestito hoc jurejurando ab iis sese purget et exoneret.* Vid. WESTENBERG *V. C. Princ. jur. secundum Ord. D. L. XII. Tit.* 2. §. 60. et 61. Belgae dicimus *de eed tot zijne ont-*

*ontlastiginge*, quemadmodum in foro *suppletorium* vocamus *de eed tot versterkinge van zijn aangeven*. Vid. HUBER. *ad D. Tit. de jurejur.* Est itaque jusjurandum *necessarium* secundum VOETIUM illud, quod *ob defectum probationis, seu in causis dubiis, judex parte etiam non petente defert actori vel reo.* Cum CAJUS *in l.* 31. *D. de jurejur.* non definiverit, quid per *causas dubias* intelligendum sit, interpretum plures dixerunt esse illas, in quibus actor versatur, si non habeat, quo actionem suam satis defendat ac tueatur, atque adeo unius tantum testis testimonium (quod nemo judicum in quacunque caussa facile patiatur admitti secundum legem 9. *C. de testibus.* conf. *L.* 20. *D. de Quaest.*) exhibere queat, qualem probationem *semiplenam* dixerunt; si res igitur in eo esset, jusjurandum adhibendum esset, inde dictum *suppletorium.*

At vero, quo minus hoc concedamus, facit observatio NOODTII *Oper. T. II. p.* 287. Observat enim

vir magnus, unius hominis teſtimonium non modo cauſam dubiam facere, ſed plane actorem nihil adjuvare, ob legem 9 Codicis laudatam, qua cum conferri merentur illa, quae NOODTIUS *l. l.* excitavit. Sint igitur ex ejus ſententia *cauſae dubiae*, cum ab utraque parte juſta cauſa eſſe videatur, adeo ut judex dubius ſit et incertus, quinam vel actor vel reus a certamine judiciali victor diſcedat. Ergo in ejusmodi cauſis ſecundum eum judicare, qui juravit, judicis eſſe, vere mihi dicere videor. At vero inveniuntur multi, qui vehementer dubitent, poſſitne jusjurandum iſtud a judice deferri, putantes, in cauſis tantum, *inopia probationum* gravatis, jurejurando a judice delato rem decidi oportere, quemadmodum Imperatores DIOCLETIANUS et MAXIMIANUS reſcripſerunt in *L.* 3. *C. de Rebus creditis.* Sed plerique male *inopiam probationum* explicant, cum omnem et qualemcunque inopiam intelligant. Melius erit, ſi hanc inopiae ſignificationem tribuamus, quam NOODTIUS *Probab. L.* *III.*

*III. C.* 6. §. 3. *ubi tanta*, inquit, *utrimque probationum copia, ut noceat ac turbet: adeo ubi par caussa ac ratio, neque valde in alteram inclinans partem.* Eo ſi res eſt adducta, quin jusjurandum a judice deferri liceat, nullus dubito, inprimis cum ita ſalus et exiſtimatio viri boni non pendeat a temere praeſtito jurejurando, quod judex cavere tenetur. Vid. LEYSER. *Med. ad D. Specim.* 137. §. 1. Neque ſic jurisjurandi religio reis occaſionem facile praebeat fugiendi ſupplicii, quae opinio RUD. FORNERIUM adduxit ad credendum, jurisjurandi delationem illicitam eſſe. Vid. *Rer. Quot. L. V. C.* 19. Plura, quae hic congeri poſſent, pertractavit VINNIUS *Select. jur. Quaeſt. L.* 1. *C.* 44.

Jam vero in eo ſumus, ut de *jurejurando in litem* agamus: ſed cum hoc argumentum longum ſit, illud quo minus tractemus, vetant arctiores limites, quibus circumſcribimur, neque habet, quod doleat lector, dum latiſſime patent ea, quae de hoc jurejurando tra-

diderunt et praeceperunt NOODTIUS, VOETIUS et HUBERUS ad *D. Tit. de litem jurando*: quibus addi possunt breviores observationes, quas exhibuerunt GOTHOFREDUS *Animadv. Jur. Civ. C.* I. (*Thes. Jur. Ott. T. III. p.* 269.) et LUD. VITALIS *Lect. Var. L. I. Cap.* 21. (*Thes. Jur. Ott. T. II. p.* 651.) ne alios excitem.

Et haec quidem de jurisjurandi divisionibus in medium proferre habebamus: quare hoc argumentum, ad finem ita perductum, hoc loco terminaretur, nisi pauca de *sacramento militari* dicere constituissem.

Olim apud Romanos *sacramentum* praestabatur, quod tantummodo voluntatis fuisse, male PEARCIUS ex LIVIO *XXII.* 38. colligit, Vid. ERNESTUS in clavi v. *sacramentum*, cum tantum sacramentum voluntarium inter, et legitimam jurisjurandi adactionem Auctor laudatus distinxerit. Si igitur milites singuli jurejurando adigerentur, quo, jussu Coss. se conventuros, nec injussu eorum signa relicturos esse, promitterent,

rent, illud proprie *jusjurandum* dicebant; cum vero delectus esset habitus et ducibus obedientiam, patriaeque fidem, aliaque ad disciplinam militarem pertinentia, omnes simul, uno reliquis praeeunte, (vid. FESTUS in voce *praejuratio*) jurati pollicerentur, illud *sacramentum* antiquitus vocabant. Vidd. Interpretes ad FRONTIN. *Strateg. IV.* 1, 4. et praesertim sacramenti formulam exhibens AULUS GELLIUS *N. A. XVI.* 4. Quicunque animo et cogitatione jurisjurandi vim moralem complectitur, is simul, magnae utilitatis magnique ponderis illud *sacramentum* fuisse, multum etiam fiduciae praesidiique in eo positum, observet, et vero reperiat, magni momenti hunc militum jurandi morem fuisse, cum, nisi ita essent obstricti, jure cum hostibus pugnare non potuerint, quemadmodum ex illo, quod de CATONE narratur, conficiamus. vid. CIC. *de Offic. I.* 11. Quantum etiam praesidii in eo collocarint, et quo jure, vel illud planum faciat, quod saepe totae legiones in illa loca alacres proficiscerentur,

 unde

unde ſe nunquam reverſuros eſſe plane intelligerent, et vero ibi mortem oppetere mallent, quam ſanctiſſimam obligationem prae ignavia diſſolvere. Non eſt autem, quod illas affirmationes, quibus non, niſi capta urbe, aut victoria reportata, quemadmodum plus ſemel factum novimus, (*) ſe reverſuros eſſe jurabant, ad ſacramenta rite concepta referamus: cum haec temeritatis documenta ſint, illa vero tum virtutem militarem corroborent, tum disciplinae, quae in militia obſervanda eſt, mirum in modum profit, et vero etiam ſuccum velut praebeat et alimentum. conf. MONTESQUIEU *Grandeur des Romaines et leur decadence p. 7.*

Ad hoc ſacramentum igitur cum ſe accommodarent, in coſſ. verba jurabant (**) (vid. LIV. *II.* 32. *III.*

(*) *Vid.* FLOR. *I.* 12, 8. FRONT. *Strat. I.* 11. 1. CAES. *de B. C. III.* 37. *et* LIV. *II.* 45 *et* 46.

(**) *Milites inde dicuntur* jurati in arma OVID. *Met. XIII.* 50 *et illa ſignificatio ad alias res tranſiit. ſic enim* OVID. *A. A. I.* 687.

Jurabant omnes in laeſi verba mariti.

*Apud*

*III.* 20. et *XXII.* 11.) five *jurando repetebant verba*, *quae alius five fuo*, *five alterius nomine praeiret*, et quae fidei Coff. debitae juratam promiffionem contineret. Vid. DUKER. ad FLOR. *III.* 16. 2. Atque ita deinde, perdita libertate, in verba Imperatorum jurarunt, vid. SUET. in OTTONE *C.* 8. TACIT. *Ann. I.* 7. et 34. quod cum milites facerent, gladios cervicibus admovebant, diris fefe exfecrationibus devoventes. vid. COEL. RHODIGIN. *Lect. Antiq. L. IV. C.* 2. *p.* 168. quemadmodum apud Samnites magna pompa fiebat, cum velut victima miles altaribus admoveretur, cogeretur que diro quodam carmine in caput familiamque jurare. vid. LIV. *X.* 38.

Ut autem militum jurejurando militari adactorum privilegia fatis multa erant, nam (ut illud unum exci-

D 5 tem,

*Apud eundem* in facinus jurare *occurrit. Met. I.* 242. *Atque ad eandem rationem* adigere in verba *de eo ufurpatur*, *qui alteri jusjurandum defert.* TACIT. *Hift. IV.* 21. GELL. *VII.* 18, 8. *et* PARIS *apud* OVIDIUM *Her. Ep. XVI.* 319.

\- - - - - - - - - - meque
Adftringam verbis in facra jura tuis.

tem, cum omnia enumerare longum ſit) peculium caſtrenſe proprium habebant et ab auctoritate patria diverſum, vid. *L.* 3. *C. de caſtrenſi peculio*, ita etiam contra officium agentes a ſacramento ſolvebantur, atque adeo privilegia amittebant. vid. *L.* 13. §. 3. *D. de re militari.*

Jam vero inſtituti ratio poſtulare videatur, ut de jure, quod in patria noſtra hoc de genere obtineat, nonnulla in medium proferam. Enimvero, rationibus bene ſubductis, cum hoc mihi argumentum ab ingenio magis ſubacto videatur pertractandum, ne temeritatis arguar, ad vim jurisjurandi moralem explicandam transeamus.

# CAPUT II.

## *DE VI JURISJURANDI MORALI.*

Hoc capite rei religiosissimae cum vim et praestantiam, tum officia in ea observanda, a multis jam accurate copioseque disputata, tractaturi, nostras qualescunque observationes, ex fontibus optimorum scriptorum, quoad ejus a me fieri queat, derivatas hauriamus. Latissime sane patere videntur ea, quae de jurisjurandi vi morali, tum a Ictis, tum a Philosophis tradita et praecepta sunt, cum, si nulla earum rerum, quas agas, officio vacare possit, in re religiosissima, quae fidem, justitiae fundamentum, dictorumque adeo et conventorum constantiam et veritatem, invocatione Numinis supremi confirmatam, et asseveratam, complectitur, officia et gravia sint et multa.

Ut ordine quodam disputatio absolvatur, ab eo ordiri

diri constituimus, unde omnes fere argumenti exordium ducunt. Nimirum, cum *nullum vinculum ad adstringendam fidem jurejurando majores arctius esse voluerint*, ut ait CICERO *de Offic. III.* 33. homines et ad jurandum cum reverentia accedant, et, quod jurarunt, religiose observent, necesse est. Vid. PUFFEND. *de O. H.* et *C. L. I*, *C.* II. §. 1. Haec PUFFENDORFII praecepta tanquam fundamenta omnis ratiocinationis nostrae ponantur, atque adeo omnem de hoc genere disputationem duae partitiones *Reverentia* et *Obligatio* conficiant.

§. I.

Ad reverentiam, quae duplici modo, et *ratione personarum* et *ratione rerum*, consideranda est, pertinet illud, quod unusquisque, qui ad jusjurandum accedit, juret per illum Deum, cujus cultus sibi est probatus, eamque formulam adhibeat, religioni suae accom-

commodatam, cum Atheum nulla vi jurare res ipſa loquatur.

Ergo, ſi apud Chriſtianos paganus, vel Judaeus, ſive denique Muhamedanus in jus vocatur, eique jusjurandum ab actore defertur, formulam more ſuae gentis eſſe uſurpandam, ratio et ipſa jurisjurandi inſtitutio docent. Vidd. GROT. *J. B.* et *P. II.* 13. 12. PUFFEND. *J. N.* et *G. IV*, 2, 4. et *de O. H.* et *C. I.* 11, 4.

Et ſane, jusjurandum eo animo in foro adhibetur, ut jurans ſe obligatum poenae divinae profiteatur, ſi Dei nomen et vindictam falſo invocaverit. Jam vero, quo modo fieri queat, quempiam Deum ultorem extimeſcere, quem ne verum quidem Deum eſſe agnorit, unde neceſſaria conſecutione efficias, ita jurantem facile perjurium commisſurum, ſi modo rationibus ſuis id conducere opinetur; atque ſi verum eſt, ut ſane eſt verisſimum, hominem ita eſſe comparatum, ut iſtius Dei, quem patrem velut reveretur, ultionem metuat, non

non facile adducatur, ut illam provocet; porro, si verum est, Deum quem non agnoscit, testem et vindicem perjurii invocari, planum fit, facillime perjurii crimen commissurum. Atque finis affirmationis religiosae, quae nulla alia esse potest, quam ut veritas eliciatur, ita tolleretur. Qua, quaeso, ratione Christianus ageret, si apud Turcas illi jusjurandum per Muhamedem deferretur, quemadmodum Galliae Regi Ludovico IX, in pacis conditiones cum Saracenis juraturo, accidisse novimus? Vid. MILLOT *Hist. Gall. T.* 1. *p.* 250. Nonne se minime obligatum existimaret, si perjurii vindicem invocasset hominem mortuum? Sic ergo parum cauti agemus, si homini a religione Christiana alieno formulam, ad nostram de Deo cogitandi rationem conceptam, obtrudamus. Cave tibi persuadeas, Turcam vel paganum, more suo jurantem, Deo quodammodo non obligari, nam, *quamquam sub falsis notis*, inquit GROTIUS loco supra laudato, *generali tamen complexione Numen intuetur*,

ideo-

*ideoque Deus verus, si pejeratum sit, in suam injuriam id factum interpretatur.* Quid? quod nostra sententia Sacri Codicis auctoritate firmatur. Jacobus enim Soceri Labani jusjurandum per Deos exteros factum accepit. Vid. *Genes.* XXXI, 53. Atque cum GROTIO et BARBEYRACIO, ad PUFFENDORFII locum excitatum, affirmamus, hoc exemplum recte laudari, quia, si *Josuae Cap.* XXIV. 2. intuemur, Tharam et Nahorem exterorum Deorum cultui addictos fuisse, planum erit et apertum.

Est igitur, quod laudemus Divi Pii rescriptum *L.* 5. §. 1. *D. de jurejur. jurejurando*, inquit, *quod propria superstitione juratum est, standum est.* Cum hoc rescripto quodammodo pugnare videtur ULPIANUS §. 3. legis ejusdem, nam jusjurandum *improbatae publice religionis* non admittit. Sed nulla rei inest difficultas, si BYNKERSHOEKIUM *Observat. Jur. Rom. L. VI. C.* 2. secuti per *improbatam religionem* intelligamus illam, cujus caussa Romae vel lege vel

Se-

Senatusconsulto coire non licuit, qualia erant Bacchanalia. Vid. LIV. *Lib. XXXIX, Cap.* 18. sq.

Quod vero ad Mennonitas attinet, quaeri potest, num illorum affirmatio simplex jurisjurandi vim habeat? Quod quidem affirmare non dubitem, cum, licet nullum jusjurandum praestent, tamen talis affirmatio sacramentum apud illos habeatur, atque ita effectum eundem sortiatur, quem jusjurandum, quod intellexerunt Ordines Frisiae, qui (renuente suprema Curia) Anabaptistis hanc libertatem concesserunt, qua simplici affirmatione uterentur, ea tamen conditione, ut, si falso affirmasse deprehenderentur, in perjurii poenam inciderent, Vid. HUBER. *Prael. ad D. Tit. de jurejurando n.* 2. Sed idem ille talem affirmationem in rebus judicialibus non admittit. Vid. *Hedend. Rechtsgeleertb. p.* 452. Hollandi etiam formulam Mennonitarum (*by mannen waarheid*) recipiunt. Vid. VOET. *Comment. ad D. Tit. eod. n.* 2. Atque si exempla, quibus sententiae nostrae veritatem evin-

ce-

ceremus, ex hiſtoria petere vellemus, non longe erunt quaerenda: unum alterumve proferre ſatis habeamus. Cum anno 1578. Medioburgenſes in eo eſſent, ut Mennonitas jurare cogerent, quo minus id fieret, impedivit Gulielmus primus, atque illos affirmatione ſua uti voluit. *Vid. Leven van* WILLEM *de Iſte T. III. p.* 727. Conf. WAGEN. *Vad. Hiſt. T. VII. p.* 210. et CERISIER *Tableau de l'Hiſt. Gen. des Prov. Un. T. III. p.* 359. Quid? quod anno 1747, cum quisque pro rata portione ſuam ad *donationem liberalem*, quae dicitur, pecuniam juratus conferret, Mennonitae aſſueta tantummodo formula uſi ſunt. *Vid.* CERISIER *l. l. Tom. X. p.* 433. Atque eadem quoque eſt Quakerorum ratio, qui nunquam jurant, ne in ipſo quidem judicio. *Vid.* VOLTAIRE *Melanges de Litterature et de Philoſophie Chap. III.* In Anglia Gulielmus Rex illis, ut ſimplici affirmatione uterentur, conceſſit. Sed deinde etiam formulam illam, *coram Deo omnipotenti*, reſcindere voluerunt, quod, magna cum

Clericorum indignatione consecuti sunt. *Vid.* MILLOT *Hist. Angl. T. II. p.* 449.

Cum reverentiae ratio habenda sit, et requiratur, ut is, qui juret, rei vim moralem plane intelligat, non impuberes ii sint, qui ad jusjurandum admittantur, quare, mea quidem sententia, laudandum est concilium Francofurtanum, ex cujus decretis pessimus ille mos Burgundionum, quo impuberes jurarent, abrogatus est. *Vid.* MILLOT *Hist. Gall. T. I. p.* 91. Quemadmodum in promissis, sic in affirmatione religiosa usus rationis inprimis illud est, quod requiratur. Nemo facile Deum testem et vindicem invocare poterit, nisi cui se obliget, et, quanta sit rei religiosissimae vis moralis, intelligat, planeque sentiat.

Ergo ii, qui tantae rei non sunt capaces, et rationis non tantum participes, quantum rei tam gravis pondus exigere videtur, a jurerando arceantur, et a summo Imperante terminus constituatur, quo hominibus hujus affirmationis usus sine detrimento conceda-

tur,

tur: quod sane magna difficultate laborat, cum difficillima sit tantae rei dijudicatio, quoniam saepenumero vis judicii incredibilis pene, et praecox ingenium in nonnullis eluceat, in aliis vero mentis vigorem et facultates, quae animum attingunt, quasi sepultas jacentes et obsoletas deprehendas. Dum igitur difficillimum est dijudicare, quando puer uti ratione incipiat, illud (ut GROTII *in J. B. et P. L. II. C.* 11. §. 5. verba excitem) *ex quotidianis actibus, aut etiam ex eo, quod communiter in quaque regione accidit, desumendum est.* — Cum judicii defectus ratio sit, cur ad jurandum impuberes non admittantur, furiosos, et mente captos a sacramento itidem arcendos esse, res ipsa loquitur.

Quoslibet vero, qui judicio maturiore sunt praediti, et in eo versantur, ut jurisjurandi vim moralem, et rem, quae ad jurandum proponitur, intellectam habeant et perspectam, jurejurando se posse obligare, nemo facile negabit.

Jam vero inveniuntur multi, qui affirment, Regis

non esse, dicta sua vel promissiones affirmatione religiosa confirmare, quod quam falsum sit, facile est ad existimandum. Miror sane, PUFFENDORFIUM, virum insigni eruditione clarissimum, in ea sententia fuisse; est vero, quod ignoscamus Gunthero, cum Fridericum Barbarossam ita dicentem fingat:

*Juramenta petis? Regem jurare minori*
*Turpe reor. nudo jus et reverentia verbo*
*Regis inesse solet, quovis juramine major.*

Ignoscamus, inquam, Gunthero, qui ad tempora, quibus vixit, se accommodavit; sed PUFFENDORFIO, qui, pulsa barbarie, cum homines jam ad cognitionis omnium rerum fastigium escendissent, vixit, hanc sententiam proferenti, vix mihi tempero, quin succenseam. Verba excitasse sufficiat, ut quisque opinionis istius absurditatem intelligat. *Le serment*, inquit, *ne convient gueres aux Princes, sur tout par rapport a leurs inferieurs. Car outre, qu'il n'y a personne, qui ait plus d'interet, qu'eux de faire regarder la foi donnée,*

com-

*comme une chose sacrée et inviolable, il est au dessous de leur caractere, et de leur haut rang, de rien faire, qui suppose, qu'on les soupçonne seulement de mensonge, de fraude, ou de perfidie. Vid. J. N. et G. L. IV. C.* 2. §. 2. Conf. FELICE *Leçons de Droit de la Nature T. II. p.* 49.

Si re vera Principes ab omni tempore illi fuissent, qui rebus gestis PUFFENDORFIANAE opinionis veritatem evicissent, esset profecto, quod viri magni judicium meum quoque facerem, sed, cum contrarium praestiterint plerique, quod nemo unus, qui non praejudicata opinione imbutus gentium annales evolverit, (*) facile denegabit, non possum adduci, ut cre-

(*) *Quis quaeso mortalium perfidior; quam Philippus Macedo? Vid. Justin IX,* 8. Conf. VALCKENAR. *Orat. de Philippi Maced. indole p.* 52. sq. *Quis tam fuit in hoc vitio excellens, quam* Ferdinandus Catholicus? *qui a Gallis κατ᾽ ἐξοχὴν* perfidus *dictus est. Vid.* MILLOT *Hist. Gall T. II. p.* 49. *Perfidiae ejus exempla enumerat* ROBBERTZ. *Hist. Amer. T. I. p.* 254. *et Hist. Caroli V. T III. p* 12. *coll. p.* 23. *Atque idem Auctor gravissimus Caroli Quinti perfidiae documentum exhibet. T. V. p.* 293. *Plura excitare supervacaneum sit.*

credam, folos principes, jurisjurandi vinculo non esſe adſtringendos; inprimis, cum, ut ſupra monitum eſt, is ſit jurisjurandi finis, ut tanquam frenum perfidiam coerceat, atque, ſi ea eſt indoles humani generis, ut homo hominem decipere ſtudeat, neceſſe ſit, ſecundum eandem indolem omnes vinculo communi eſſe conſtrictos. Inde ea ducatur conſecutio, quod, cum principes ejusdem pravitatis moralis participes ſint (quod praecipue contra Hobbeſium affirmamus, qui *Cap.* 15. *de Cive*, omne illud, quod princeps agit, rectum dixit) imo vero, quo pluribus honoribus et divitiis affluant, eo magis cupiditatis, quae infinita eſt et inſatiabilis, illecebris pelliciantur, ut, ſpreta fide, plura adipiſcantur. Cum igitur pravitatis moralis et humanae inbecillitatis communionem cum reliquis hominibus habeant, uno contineantur cum illis eodemque vinculo.

Quod ad alteram argumenti PUFFENDORFIANI partem attinet, qua in Reges perfidiae et fraudis menda-

daciique suspicionem ne cadere quidem posse contendit, ut hoc eo valeat, nihil agant, quod talem suspicionem moveat. Fatemur suspicionem contra Principes non leviter et temere esse fovendam, sed cum experientia docuerit, non omnes homines perfidos esse, illosque tamen jurisjurandi vinculo uno contineri omnes, in eadem causa morali nullam differentiam Principem inter et civem admittendam esse censemus. Atqui, si valet omnis antecedens ratiocinatio, alterum argumentum PUFFENDORFII nihil habet, quo se tueatur; verum autem primum, verum igitur et extremum.

Cum omnia ratione antimoque contempleris, affirmationum nulla est gravior, nulla sanctior, quam quae in jurejurando consistit. Quicunque igitur ad jurandum se accingit, animo deliberato ad illud accedat. *Vid.* GROT. *J. B. et P. L. II. C.* 13. §. 2. PUFFEND. *J. N. et G. IV*, 2, 5. *O. H. et C. I*, 11, 5. Atque ita homo rationis compos in eo proposito

dum accedunt, perjuros arbitretur? atque ita, quoniam omne illud, quod a jurisjurandi vi morali proficiscitur, hanc habet viam, quae deducat ad veritatis affirmationem, invocatione Numinis fupremi confirmatam, quisque *refervationes* illas, (quae dicuntur) *mentales* fugiat et averfetur.

*Refervatio mentalis* igitur (ut ad illas tranfeam) nobis videtur quaedam jurisjurandi, a mente ejus, cui juratur, aliena interpretatio. Quod fi animo et cogitatione complectemur, nihil, quod magis fidei adverfetur, magisque animo bene conftituto indignius fit, et rei graviffimae fanctitatem magis violet, fingi aut cogitare poffe reperiemus. Etenim fi in jurejurando aliud in ore promtum, aliud claufum iu pectore gerimus, omnem vim, quae in eo obfervanda eft, tollimus. Ne dicam, illos, qui refervationes adhibent, loquela, Dei munere conceffa, abuti, cum non iccirco nobis data fit, ut mendaciis dolos aliis ftruamus, et ficto ore contraria dicamus iis, quae fentiamus.

Quae

Quae cum ita se habeant, jam agamus, ut Lojolista-rum opinionem refutemus. Putant nempe, juranti in judicio diversam a deferentis vel interrogantis judicis sententiam proferre licitum esse, et verba sua ita accommodare, ut menti suae convenienter jurari, deferens sibi persuadeat, (*Vid.* OTTO *ad* PUFFEND. *O. H. et C. I.* II, 9.) atque adeo ultra animi propositum neminem obligari; in qua quidem opinionis levitate Lojolistis plures consentientes reperias. Verum enim vero, cum in jurejurando verba ita sint concepta, ut, per enunciationem eorum, animi sententiam dictis consentaneam habere censeamur, religionis vinculo adstringimur, ad actiones nostras ita componendas, ut non pejerasse videamur. Homines enim non ii sunt, qui intimos animi recessus perscrutentur, quod solius est Dei, qui pro ea, qua est sapientia, hanc ob caussam hominibus concessit, ut signis quibusdam animi actiones internas significarent. Nihil ergo est, quod magis Numinis supremi voluntati contrarium sit, quam fal-

falsis, ut ita dicam, symbolis ipsam internam actionem obtegere. Praeterea, si nullam vim obligandi verba sollemniter enunciata haberent, si signis externis, quibus cum aliis hominibus nostram mentem cogitationemque communicemus, nulla religio inesset, quo tandem pacto societas humana contineretur, cujus natura, ut recte GROTIUS *J. B. et P. II*, 4, 3. *non patitur*, inquit, *ut actibus animi sufficienter indicatis nulla sit efficacia.* Quae si recte perpendamus, nulli dubitabimus, quin ii, qui reservationes mentales adhibeant, Deo debitam reverentiam negligant, cum, qui alterum dolo circumveniunt, actionesque internas sub specie jurisjurandi occultant, agant id, quo nihil magis officio possit esse contrarium, nam religionem contemnunt, et amorem, cujus vinculo caeteris hominibus sunt quasi alligati, violant.

Cum ita reservationes illae tantopere perfectioni naturali officiant, est sane, quod, memoria omnis aevi replicata, hanc perfidiam fuisse omnium fere tempo-

rum

rum, doleamus (*). Ipsos Romanos, qui initio Reip. fidei erant observantissimi, non semel in hoc vitium incidisse, observavit MONTESQUIEU. *de la Grandeur des Rom. &c. pag.* 69. Antiquae probitatis exemplum praebeat LIVIUS *III*, 20. Scilicet cum Tribuni Pl. more suo, delectus militum quo minus haberetur, impedire conarentur, causa interposita, Quintium eo tempore, quo milites in verba juraverant, hominem privatum fuisse, et sub hac specie cives religione solve-

(*) *Exempla hanc in rem de Theodoberto Austrasiae Rege, de Vlamingis aliisque dedit* MILLOT *Hist. Gall. T. I. p.* 30. *l. l. p.* 334. *et Hist. Angl. T. II. p.* 337.. *Auctoris gravissimi verba digna sunt, quae hic a me excitentur.* Un pareil serment, *inquit*, ne pouvoit, qu' inspirer la defiance, et sembloit ouvrir la porte au parjure, il en resulta un mepris general pour les sermens, dont l' usage cesse d'etre utile, et devient souvent pernicieux, l'orsque la conscience admet les restrictions, qui favorisent la fausseté. *Sic majores nostri Jacobi II. legato dicebant, se animum bellandi cum Rege Populoque non habere: cum Regi re vera, non autem populo bellum inferre decrevissent. Vid.* CERISIER *T. VIII. p.* 253. *Quid Turcas memorem, qui jurejurando se non obstrictos arbitrantur, nisi ipsorum lingua verba affirmationis sint concepta. Vid.* BARBEYRAC. *ad* PUFFEND. *J. N. et G. L. III. C.* 6. §. 16. *De Pontificum Romanorum reservatione addatur.* ROBBERTS. *Hist. Car. V. T. III p.* 246.

verent, univerfus Populus Rom. facramentum ratum effe decrevit. *Nondum*, enim ut egregie addit LIVIUS, *haec, quae nunc tenet feculum, negligentia Deum venerat; nec interpretando fibi quisque jusjurandum et leges aptas faciebat, fed fuos potius mores ad ea accommodabat.*

Itidem in foedere omnes exceptiones, quae hanc ob caufam funt oppofitae, ut rumperetur fub fpecie quadam juftitiae, cum refervationibus convenire, mihi vere dicere videor. Carthaginienfes, (ut hoc utar) cum bellum eos inter et Romanos jam in eo effet, ut exardefceret, (*) Saguntum jure ab Annibale oppugnari contendebant, quia, cum foedus (quo utriusque populi fociis caveretur) componebatur, Saguntini nondum erant focii Romanorum; quafi vero additum fuiffet, rationem tantum habendam eorum, qui tunc focii effent, nec novos focios affumendos effe, eosque in fidem receptos non defendendos; haec ita

cum

(*) LIV. *XXI*, 18, et 19.

cum Carthagenienses contenderent, illorum causa erat iniquissima, et Punicam fidem prodebat.

Porro aliud est reservationum genus, quo latebra quaeratur fraudi et perjurio, quique illo utitur, merito versutus et fallax et sit et habeatur. *Testificationes*, cum inter duos foedus contrahitur, clam et inscio altero, at tamen sollemniter factas, me velle, nemo non videt. Ejus profecto sunt naturae, ut minime ex bona fide proficisci, sed potius foederum religionem et sanctitatem penitus tollere videantur. Etenim, si ita in jurejurando progrediare, tollatur potius omnis rei sanctissimae usus, ut inanis conceptio verborum, inutilis vindictae divinae provocatio. Nullam vero *testificationes* illas, quod monendum est ob exemplorum copiam (*), qua historia abundat, vim habere, nullo-

(*) *Notissimae sunt ejusmodi* testificationes, *Montfortii Ducis Brittanniae*, *vid.* MILLOT *Hist. Gall. T. I. p.* 386. HENRICI *II. contra foedus Crepiaci factum*, *vid.* MEZERAY *Hist. Gall. Part. II. p.* 631. *Charlottae denique Bourboniae*, *vid.* Het Leven van WILLEM de Ie *T. II. p.* 565. *ut alia, quae hic congeri possint magno numero, praetermittamus.*

loque jure fuſtineri, nemo facile negabit. Quis enim Franciſcum Primum, ſi *teſtificatione* ſatis nota ſibi a foederis ſervandi neceſſitate liberatus videretur, non perjurum diceret, ſi non ab alia parte excuſari poſſet. Conf. *Van* WESELE SCHOLTEN Vir Ampl., idemque mihi amiciſſimus, in egregia illa *de foedere Madritano* diſſertatione juridica, in qua eruditionis verae accurataeque virum agnoſcas, *Cap. II.* §. 3.

Non ſolum *ratione perſonarum*, ut jam demonſtravimus, verum etiam *ratione rerum*, de quibus juretur, reverentia obſervanda eſſe videtur. Nam, cum in omni vita rectiſſime praecipiatur, ne res, quae ſanctitate quadam ſunt munitae, temere adhibeantur, ſic jurisjurandi uſum in minimis negotiis fugiamus, maximeque curemus, ut Numen ſupremum, quod invocamus, et vereamur et diligamus. Pleni ſunt Philoſophorum libri, plenae ſapientium voces, quae a temere jurando mortales arceant; et recte praecipere videntur, qui monent, in pecuniola aut re minoris momenti, omne

jus-

jusjurandum esse fugiendum. Dignae sane sunt, quae legantur, ipsorum virorum excellentium sententiae; sed quo minus illas excitemus, facit diligentia HUGONIS GROTII, qui plerasque laudavit ad Matth. Cap. V. vs. 33. Et profecto, si omnes homines dicti Philonis memores semper fuissent, ἐκ πολυορκίας ψευδορκίαν nasci, non tot temeritatis in eo genere exempla reperirentur tamque insignia. Bene igitur Pythia Lacedaemoniis praecipiebat, melius fore, si ita actiones suas ad iustitiae et fidei normam exigerent, ut jurisjurandi medicina non indigerent. Ita Herculi honori fuisse, quod semel duntaxat in vita jurasset, observat PLUTARCHUS *Quaest. Rom.* 28. Sed, cum mores adeo sint corrupti, ut saepenumero jusjurandum, tanquam perfidiae humanae remedium, adhibeatur, necesse sit, interdum cavendum est, ne temere ad illud accedamus, et judicis inprimis est curare, ne in judicio, ubi de commodo suo agitur, facile quis ad jurandum admittatur.

Praeclarum est, et dignum, quod ubivis recipiatur, illud, quod praecepit Imperatrix Russiae, *C'est oter toute la force au serment, que de le rendre trop commun. On ne doit jamais admettre personne a prêter serment, que dans le cas ou celui, qui jure n' y trouve aucun avantage pour lui meme, et n' en procure aucun ni au juge ni au temoin. Vid.* MILLOT *Hist. Angl. T. II. p.* 450. Magna sit admiratio hujus legis, quam qui admirantur, et ad ejus praeceptum se accommodant, intelligere etiam et sapere plus quam ceteros arbitramur. Nam quicunque judex, cum de aere alieno, de numeranda pecunia agatur, statim indulget, ut ad jusjurandum concurratur, facit id, quo nihil magis rei gravissimae sanctitatem evertens reperiri possit, et nihil habet, quod respondeat dicto Laberii: *Quid est jusjurandum? Emplastrum aeris alieni. Vid.* AUL. GELL. *N. A. XVI*, 7. conf. MARCILII *Interpr. Legg. XII. Tabb. (Thes. Jur. T. IV. p.* 292.)

Cum

Cum miseros mortales saepenumero capiat oblivio, Deum immortalem sparsisse animos in corpora humana, ut essent, qui vitae modo atque constantia imitarentur imaginem, quam illorum, qui ad rectae rationis normam se ipsi componunt, animis expressit: cum ejus igitur veritatis nos capiat oblivio, non est, quod miremur, humanum genus, communes utilitates in medium conferendi, arctaque homines inter se societate devinciendi, officiis vacasse. Equidem illud etiam animadverto, mortales non modo in vitia ruisse praecipites, verum etiam, divina et humana miscentes, rerum illicitarum modum non tenuisse. Quod quantum divinae voluntati contrarium sit, quam indignum homine, nemo unus est, qui non intelligat planeque sentiat. Iccirco sic mihi persuasi, delictis magnum cumulum accedere, si eo usque quis progrediatur, ut de rebus illicitis Numen supremum testem invocet, et vindicem, si ea peragat, quae ejus voluntati adversentur et perfectioni naturali offi-

ciant. Quicunque ergo temeritati ſuae ita indulget, peccat in eo, quod vel temere vel illicite jurat.

Temere jurant, qui temporum rationes non obſervant, neque animo et cogitatione tales illorum mutationes complectuntur, quibus vel in perjurium incidant, aut quid facere vel pati, quod contra bonos mores eſt, cogantur. Atque ita ille Eques Rom. temere egit, qui ſe nunquam uxorem repudiaturum jurabat, et tamen illam, in ſtupro deprehenſam, rejecit, gratia jurisjurandi ab Imperatore facta ſcilicet! *Vid.* SUET *in Tiber. Cap.* 35. Quam temere egerunt Lacones, qui graviſſima exſecratione ſe obſtrinxerant, *non prius*, quam Meſſenas expugnaſſent, ſe *reverſuros*. Quid vero? Obſidio per decem annos tracta exspectationem fefellit, quam ob rem, ne perjurium committerent, promiſcuum uxorum concubitum permiſerunt. *Vid.* JUSTIN. *III*, 4. Quid autem inde profluxerit, miſera Partheniarum conditio ſatis evicit.

Neque etiam Jephta temeritatis excuſari poteſt, qui, quid-

quidquid ſibi obvium foret, Deo ſe immolaturum ſpopondit. *Vid. Judic. Cap. XI, vs.* 32. ſq. conf. JOSEPH. *Antiq. Judaic. II*, 9.

In id igitur omni cura et cogitatione incumbamus, ut, antequam ad jurandum progredimur, rem ipſam velut materiam nobis ita ſubjectam habeamus, ut in temeritatem iſtam, cujus conſecutionem modo videbamus, non incidamus. Nam peſſimum illum nonnullorum morem, quo per ludibrium jusjurandum praeſtant, ne attingo quidem. Notum eſt, quod de HELIOGOBALI convivis narrat LAMPRID. *in Heliogob. C.* 30. conf. SCRIP. HIST. ROM. VET. *T. II, p.* 343.

Illicite vero jurant illi, qui rem quamcunque, quae officio boni viri, praeceptis juris Naturae, et legibus civitatis, verbo, quae perfectioni naturali obſtat, jurejurando affirmant. Nam affirmatione religioſa, cum Deo teſte promittamus, nos rem quampiam facturos; res ea ſic ſit comparata, ut termini habiles, qui di-

cuntur, non desiderentur. Quomodo enim licitum esse potest, aliquem ea esse impudentia, ne dicam impietate, ut Deum delicti testem invocare, et, si contra ejus praecepta agat, vindicem expofcere audeat? Ratiocinationem nostram exemplis firmemus. Impium erat illud jusjurandum, quod, Amphictionum jussu, in Graecia ab omnibus erat praestandum, atque ita erat conceptum, ut nemo, incolarum Cyrrae (*qui sacrilegii rei erant*) fertiles agros coleret. Vid. *Voyage d'Anacharsis en Grece T. III. p. 68.* Jam vero, cum fertilitas agrorum hanc ob causam mortalibus concessa sit, ut illos colant, et habeant, unde cibum sibi comparent, nemini jus est, se jurejurando obstringendi, quo tanto muneri renunciet. —— Porro, cum mortales amoris et necessitatis inter se vinculis sint conjuncti, impius sit, qui tam acres gerit inimicitias, ut jurejurando illas confirmet. Qualis Amilcar, qui filium Annibalem puerum adhuc dum jurare jussit, numquam se in amicitia cum Romanis fore: Vid. CORN.

NEP.

NEP. *in Annib. C.* 2. conf. BARBEYRAC et PUFFEND. *J. N. et G. L.* IV. *C.* 2. §. 9. Atque utinam WITTIUS, simili obligatione obstrictus, fidem Annibalis non ad imitationem traxisset. Vid. CERISIER *Tableau de l'Hist. des Prov. Un. T. VI. p.* 428. —— Cum omnia, quae promittimus, ejus naturae esse debeant, ut promissionis sint capacia, nulla virgo Vestalium more virginitatem perpetuam jurare potest, cum ita Naturae leges violet. (*) Quod si nihil est tam contra naturam, quam procreationis neglectus, (ea enim, quae voluntati divinae convenientia sunt, natura requirit, aspernaturque contraria) nihilque tam secundum naturam, quam liberis operam dare, certe virginitatis vel coelibatus (qualis est Monachorum, et contra quam egregie disputat RAYNAL *Hist. Philos. Polit.*

(*) *Minime itaque excusandi sunt Romani, qui Vestales, postquam a Pontifice Maximo captae erant, (de quo ritu nonnulla monet* SCHULTING *in Juresp. Antejustin. p.* 593.) *si forte naturae legibus obtemperarent, vivas sub terram defodiebant. Vid.* LIVIUS *XXII*, 57. conf. *VIII*, 15.

*Polit &c. T. I. p.* 161.) promisſio, etiamſi jurata, illicita eſt.

Verum enim vero, cum reverentia Numini ſupremo debita, et certe omni pondere gravior habenda quam reliqua omnia, jusjurandum de re illicita arceat, nullam profecto vim in eo conſiſtere neceſſe eſt. Nec me ſolum, ut ita crederem, nobilitas (ut idoneo loco ostendam) ſummorum virorum et auctoritas, ſed etiam ipſa ratio impulit.

## §. II.

Cum reverentiam, quae in jurejurando obſervanda eſt, tum ratione perſonarum, tum ratione rerum conſideraverimus, reſtat, ut latisſimum, qui ſe aperit, disſerendi campum ingrediamur, cum de *obligatione* dicendum ſit.

Quicunque animo et cogitatione ſe converterit ad illa, quae diximus, ſuperiore disputatione mihi maxime propoſitum fuiſſe, ut ex ratione vim jurisjurandi mo-

moralem demonſtrarem, facile colligit. Cum jam obligationem tractemus, memoria replicanda ſunt illa, quae ſupra a nobis in medium prolata ſunt. Nimirum, affirmationem religioſam ſimul etiam provocationem vindictae divinae continere, tum ejusdem hanc eſſe vim, ut, niſi perfectae aetatis homo, ad illud ſacramentum admittendus ſit, porro, neque illud ſaepenumero, et in quovis negotio praeſtandum, omnem denique et qualemcunque reſervationem omittendam eſſe, habita reverentiae Deo debitae ratione; haec igitur (quantum ab ingenii tenuitate poſtulari poteſt) demonſtravimus. Quae ſi mente contemplemur, facillime profecto, rei ſanctiſſimae obligationem et efficaciam non exiguam, imo vero graviſſimam eſſe, intelligemus. Primum omnium quidem de quaeſtione, quae naturam obligationis attingit, aliquid dicendum eſt. In qua conſideranda animos virorum eruditorum in contrarias ſententias distrahi comperimus, cum nonnulli novam e jurejurando obligationem, alii contra novo tantum vinculo adſtructam ori-

ri contendant. GROTIUS *de J. B. et P. L. II. C.* 13. §. 6. duplicem obligationem fingit, alteram, qua jusjurandum ad hominem, alteram vero, qua ad Deum referatur. Sed a viri immortalis sententia diversam sequi mihi liceat, cum rationes eaeque satis graves adsint, quae duplicem illam obligationem, quo minus admittam, me impediant. Jam primum omnium observandum est, hujus doctrinae commendationem, callido admodum instituto, a Pontificibus esse factam. Nam, cum sibi juris divini vindicationem arrogarent, eorum intererat, jurantes Deo peculiariter obligari, atque adeo hanc opinionem quam maxime commendarunt, ut ita omnes, qui jurarent, eorum voluntati se accommodarent. Vid. Ampl. WICHERS *in laud. dissertat. p.* 53. Quod igitur ad sententiam Grotianam attinet, nequaquam vir incomparabilis votum inter et jusjurandum, duas profecto res natura maxime diversas, distinguere videtur.

Quod si jurisjurandi haec vis atque natura sit, ut no-

novam obligationem pariat, per illud Deo aliquid quasi promittatur, necesse est.

Sed quo tamen modo hoc defendi possit, non facile dixerim. Nam, si ejusmodi sit jusjurandum, ut aliquid alteri ab altero promittatur, quod perfectioni naturali officiat, quo tandem pacto tale quid jure promitti possit, atque adeo jurans Deo obligetur, me ignorare profiteor.

Accedit, quod jurejurando promissorio nulla vis insit, si illa, quae promiseris, alter a te praestari nolit, atque adeo inanis sit promissio jurata. Quo modo igitur juratus et Deo quidem peculiariter obstrictus promissa exsolvat? ignoranti mihi Grotianae sententiae fautores succurrant. Primum omnium itaque teneamus, jusjurandum accessorium quoddam esse vinculum, quod obligationem confirmet, minime vero per se propriam pariat officii necessitatem. Jam vero, cum accessorium sit rei principalis, sequitur, ut peculiarem et a rei principalis obligatione diversam producere nequeat.

queat. Sed, quemadmodum diximus, additur tantum negotiis, ut, reverentia erga Deum, divinaeque vindictae metu, hominum animi ad servandam fidem commoveantur.

Caeterum facile fit plura contra GROTIUM proferre, sed ex dictis quale sit de quaestione judicium, satis intellectum puto; qui plura cupiunt, adeant BARBEYRACIUM *ad* PUFFEND. *J. N. et G. L. IV, C.* 2. §. 6. *et Intpp. ad Librum de O. H. et C. L. I. C.* II. §. 6. conf. FELICE *Leçons de Droit de la Nature T. I. p.* 43. Nos jam reliqua persequamur.

Certum habeatur juranti obligationem incumbere, quaecunque jurarit, sanctissime servandi, quin ea vis jurisjurandi sit, ut iis, quibus amicitiae vinculo devincimur, contra jusjurandum quicquam a nobis contendentibus, non obsequamur, quod sane amici causa nemo vir bonus faciat, neque ullo modo patiatur, se adduci ad id, quod contra officium est. Conf. CICERO *de Offic. L. III. C.* 10. et *de Amicit. C.* 11. Praeterea

terea cum, si aliquid, Deo teste adhibito, affirmetur, nulla alia re magis adducantur homines ad credendum, quam si talem religionem adesse noverint, nihil tam amori, quo homo homini conjungitur, repugnet, quam alterum sub specie affirmationis religiosae decipere, quo nihil magis ab officio hominis probi remotum esse arbitror. — Atque cum ita simus comparati, ut semper salutis nostrae rationem habeamus, nihil magis contra officium sit, quam, cum vindictam divinam, ac poenam gravissimam eamque sempiternam, provocaris, si dictis non constares, religionis vinculum contemnere.

Quae cum ita se habeant, sic mihi persuasi, obligationem, quae a jurejurando proficiscitur, esse perpetuam, nullaque ratione virum bonum esse adducendum, ad fidem fallendam, semperque et in omni causa memoria esse repetendum, Numen supremum perfidiae poenas exposcere. Verum enim vero, cum animum ad vitae humanae rationem conferas, quam pauci inveni-

entur, qui cum Socrate comparare possint. Socrates enim, cum populus mortem posceret illorum Imperatorum, qui in pugna navali ad Arginusas civium interfectorum cadavera, vento impediti, non sustulerant, solus de Senatu Quingentorum, licet plebs undique fremeret, ορκον βουλευτικον servavit. Nam, ut XENOPHONTIS verba in medium proferam, περι πλειονος εποιησατο ευορκειν, η χαρισασθαι τῳ δημῳ παρα το δικαιον, Vid. *Memor. L. I. C.* I. §. 18. Dignum quoque est, quod legatur, illud, quod de JOANNE PRIMO, Galliae Rege, narrant MEZERAY *Hist. Gall. T. III. p.* 66. et MILLOT *Hist. Angl. T. I. p.* 258. conf. *Hist. Gall. T. I. p.* 361.

Quantopere esset exoptandum, ut omnes homines ad hanc normam se exigerent, neque per quamvis speciem ad perfidiam proni deprehenderentur. Quales quidem mihi esse videntur, qui nomine *absolutionis*, quae dicitur, *Papalis* dictis suis non constant, et disertis promissis, eisque jurejurando confirmatis, propterea

terea fidem non habent, quod Pontifex Romanus eos affirmationis religione folverit. Atque hic locus me admonet, ut nobiliffima quaeftio a me dijudicetur, quo titulo illud jus fibi Papae vindicaverint, de quo antequam difceptare incipiam, pauca de ipfis Pontificibus, eorumque imperio monenda videntur.

Quicunque mentis humanae notitiam e rebus, quocunque tempore geftis, eft affecutus, facillime agnofcet, a mundi inde primordiiis ad noftra usque tempora fuperftitioni hominum animos maxime fuiffe deditos, auctoritatemque illam Papalem infanae matris fuperftitionis filiam effe infanam. Primis post CHRISTUM temporibus exiguum admodum Paparum erat imperium, neque ulla fere differentia illos inter et reliquos Epifcopos. *Vid.* ROBBERTZ. *Hift. Car. V. T. I. p.* 160. Deinceps vero, cum hominum animi ad fuperftitionem magis magisque prolaberentur, paulatim illa poteftas crevit, donec ad illa tempora, quibus ad fummum faftigium efcendit, perventum eft. Quemadmodum

dum illi, qui fummum imperium appetunt, non ftatim fe quibuscunque negotiis immifcent, fed a nonnullarum rerum cura, fuis commodis maxime infervientium, exordium ducunt, ut ita paulatim ad illa, quae in Rep. fumma funt, tandem aliquando perveniant: fic Pontifices res, quae ad religionem pertinent, auctoritati fuae fubjicere, et deinceps quavis ratione Principum et populorum negotiis fe immifcere coeperunt, donec eo usque progreffi funt, ut hominibus perfuaderent, fe conditione effe humana majores, mortalium inbecillitatis minime participes (quod de fe ipfe jactabat Papa GREGORIUS. *Vid.* MILLOT *Hift. Mod. T. I. p.* 242.) auctoritatemque illam divinae effe originis, de qua arrogatione Lutherum inter et Eccium, duos praeftantiffimos viros, pari utrumque eruditione, magnae fuerunt controverfiae, Lipfiae Ao. 1520 publice agitatae: Vid. ROBBERTZ. *Hift. Car. V. T. III. p.* 204. Et profecto, pro temporum ruditate, qualemcunque opinionem hominum animis inculcare non erat difficile.

Quae

Quae igitur cum tanta fuerit de Pontificibus opinio, non eſt, quod magnopere miremur, illos pro lubitu quaecunque egiſſe, quae modo e re ſua eſſe crederent. Atque inde repetatur prava Reges imperio privandi conſuetudo, (*) eorumque regna pro arbitrio concedendi arrogatio, (**) populorum barbaries,

 qua

(*) *Ita* HENRICUS *IV. Imperator. Vid.* MILLOT *Hiſt. Mod. T. I. p* 237. *Eodem modo* INNOCENTIUS *III. regnum Angliae Regi* JOANNI *ademit, eundemque in fidem receptum reſtituit. Vid.* MILLOT *Hiſt. Gall. T. I. p.* 221. *et Hiſt. Angl. T. I p.* 163.

(**) *Ab hac opinione mos repetatur, quo Imperatores, tanquam Pontificum benignitate regnum capeſſerent, ab illis ſollemniter corona ornabantur, de qua ſollemnitate vid.* D'ORVILLE *Hiſt. des differ. Peup. T. VI. p.* 460. CAROLUS *quidem* CALVUS *tanquam donum Imperium a Papa accepit. Vidd.* MEZERAY *Hiſt. Gall. T. I. p.* 346. et MILLOT *Hiſt. Gall T. I. p.* 130. *Sic* CAROLUS MAGNUS, *patrem* PIPINUM *imitatus, hanc ſollemnitatem paſſus eſt, Vid.* MIZERAY *Hiſt. Gall. T. I. p.* 249, *cum pro temporum ruditate nullus, niſi a Pontifice coronatus, Imperator legitimus haberetur. Vid.* ROBBERTZ. *Hiſt. Car. V. T. III. p.* 103. *Quid? quod multis poſt temporibus* FERDINANDUS CAROLI *V. frater a Papa coronari voluit. Vid.* ROBBERTZ. *l. l. T. VI. p.* 255.

*Sed haec hactenus. Cum Pontifices regna diſtribuentes novimus, hominum ignaviam demiremur, nihil autem mirum magis ad aures accidat, quam illos, regna, nemini mortalium nota, huic illive concedentes, deprehendere. Cum itaque Portugallis omnes regiones orientem, Hiſpanis vero Occidentem verſus de-* dis-

qua ista paterentur, Regum denique ignavia, qua officia, quae ultimi ordinis hominibus convenirent, Pontificibus praestarent, (*) et in omnibus negotiis, ad imperium pertinentibus, suam Paparum voluntati accommodarent. Ita constitutum imperium armis firmari debuit, ne ignavia perderentur illa, quae tanto opere erant parata. Quemadmodum Reges, illique, qui exteras gentis ditioni suae subjiciunt, disjunctissimas quasque terras, vi armorum et tributis sub sua retinent

*dissent*, *Vid.* REYNAL. *Hist. Phil. Pol T. I. p.* 74. et ROBBERTZ. *Hist. Amer T. I p* 180, *merito illam agendi rationem Princeps Peruvianus demirabatur. Vid.* ROBBERTZ. *l. l. T. III. p.* 267.

(*) *Sic (ut hoc utar) cum Pontifex equo veheretur, Reges frena tenebant, quod, Rege indignum, tanquam jus Pontifices exigebant. Vid.* MILLOT *Hist. Mod. T. I. p.* 301, et 304. *Hist. Angl. T. I. p.* 123. *Ad hanc rationem Comes Hollandiae eadem officia Episcopo Ultrajectino praestitit. Vid.* CERISIER *Tableau de l' Hist. des Prov. Un. T. I. p.* 188. *Quid inde evenerit, facile est ad existimnadum. Clericorum superbia mirum in modum aucta est, Regesque a Pontificibus contumeliose habiti sunt: exemplum praebeat* MONTESQUIEU *de la Grandeur des Romains* etc. *p.* 257. conf. *quod de Philippo secundo narrant* ROBBERTZ. *Hist. Car. V. T. VI. p.* 181. seq. et WATSON *in vita T. I. p.* 57. MERCIER *Fragmens de Politicq. et d' Hist. T. I. p.* 327.

nent potestate, ita Pontifices imperium, insidiis, temporum barbarie, hominumque ignorantia comparatum, non praeliorum magnitudine, aut numero copiarum, sed armis, tali imperio aptis, librorum, unde sapientiae fontes dimanant, remotione, (*) excommunicationis, aiunt, metu, (**) bullisque (†) imperium firmarunt.



(*) *Exemplum sit* Index *a Papa confectus eorum librorum, quorum auctores* haeretici *habebantur, atque per hanc speciem omnes bonae notae libri amovebantur. Vid.* MILLOT *Hist. Gall. T. II. p.* 167. *Primum locum in Indice Sacram Codicem occupavisse, observat* SCHARPIUS *eloquentiae Aristarchus in dissert. Theol. p.* 113.

(**) Excommunicationem, *a Judaeis originem sortitam, (Vid.* SPENCER. *de Legg. Hebr. Ritual. p.* 658,) *neque antiquis Gallis incognitam, (Vid.* CAESAR *de B. G. VI,* 13,) *Principes pertimuisse non est, quod magnopere miremur, cum iidem, ac* καταρατοι *apud Graecos et* exsecrati *apud Latinos (Vid.* DONAT. *ad* LIV. *L. II. C.* 5.) *omnia jura, quae homo homini tribuat, amittebant, Vid.* ROBBERTZ. *Hist. Car. V. T. III. p.* 239. conf. *T. V. p.* 130. *Prudenter igitur, pro temporum ignorantia,* Didericus, *Comes Hollandiae,* excommunicationis *metu Urbem Ultrajectinam ab obsidione liberavit. Vid.* WAGEN. *Hist. T. II. p.* 230. conf. CERISIER *T. I. p.* 228.

(†) *Notissima est illa* Bulla Unam Sanctam, *qua Regum auctoritas voluntati Pontificiali subjiciebatur. Vidd.* MEZERAY *Hist. Gall. T. II. p.* 791. *Neque minus nobilis est illa* in coena domini, *cujus exceptionem* Du-

Plana igitur eſt ratio, qua Papae maxime adducti omni opere contenderunt, ne bonis literis priſtina dignitas reſtitueretur. Nam, poſtquam ſtudia humanitatis ac literarum ab interitu vindicata ſunt, viri immortales doctrina animos excolere coeperunt, et a ſuperſtitione diſtracti cum aliis ſapientiam communicarunt, et magnam partem auctoritati Pontificum exitium dederunt. (*)

Sed ad partem ſermonis, unde digreſſi ſumus, revertamur. Pontifices bene intellexerunt, nihil ſuis commodis conducere magis, quam ſi omnes homines juris-

*Duci Albano Ultrajectini fruſtra opponebant. Vid.* WAGEN. *V. H. T. VI. p.* 313. conf. WATSON *Vit. Phil. II. T. II. p.* 147. et CERISIER *T. III. p.* 156.

(*) *Non tantum bella, quae Pontifices inter et Imperatores per* 600 *annos graſſata ſunt, (Vid.* MEZERAY *T. I. p.* 509. *et* MERCIER *Fragmens de Politicq. et d'Hiſt. T. III. p.* 299.) *neque* Concilium Conſtantiae, *quod Paparum auctoritati Conciliorum ſubjecit (Vid* MEZERAY *Hiſt. Gall. T. III. p.* 191. *et* MILLOT *Hiſt. Angl. T. I. p.* 289.) *quantum quidem* reformatio, *quae renatis literis originem ſuam debet, Pontificum imperium delerunt. Vid.* RAYNAL. *Hiſt. Phil. Pol. T. I. p.* 196. *et inprimis* ROBBERTZ. *Hiſt. Car. V. T. III. p.* 221.

risjurandi religione solvendi facultate gauderent. Hac ratione illorum poteſtati magnus cumulus acceſſit, cum populos fidei vinculo, quo Regibus ſuis devinciebantur, ſolverent, omnemque inter juſtos et legitimos hoſtes foederum religionem tollerent. Sic ALEXANDER *III.* Anglos a fide, Regi debita, liberavit. *Vid.* MILLOT *Hiſt. Angl. T. I. p.* 129. Sic PAULUS *IV.* CAROLO QUINTO jurisjurandi gratiam fecit. *Vid.* ROBBERTZ. *Hiſt. Car. V. T. VI. p.* 149. Atque eadem ratione cum HENRICO *II.* Galliae Rege actum eſt. *Vid.* ROBBERTZ. *l. l. p.* 180. et WATSON *Vit. Philip. II. T. I. p.* 55.

Jam vero, ſi rem recte perpendamus, magnis et praeclaris viris aſſentiamur, nullam peſtem majorem in hominum vitam invaſiſſe, quam eorum opinionem, qui Papis in hac re ſummam auctoritatem tribuunt. (*) Prin-

 ci-

(*) *Vid.* ROBBERTZ. *Hiſt. Car. V. T. IV. p.* 113. WATSON *Vit. Philip. II. Tom III. p.* 310. et RAYNAL *Hiſt. Phil. Pol. T. I. p.* 32.

cipi quidem, qui a legum in civitate constitutarum observantia subjectos solvere, sive, ut aiunt, *dispensare* potest, (*) quin quodammodo id jus competat, non omnino negare possumus. Nam, quemadmodum ille, qui jusjurandum defert, jurisjurandi gratiam facere potest, quia cuique integrum est renunciare juri in favorem suum introducto, et eadem, praestito jam jurejurando, illi facultas incumbit, (**) Princeps quoque non tantum, si ei juratum est, verum etiam, si contra bonos mores, legesque publicas, vel contra expressam ipsius voluntatem jusjurandum est susceptum, quo minus illa obligatio officii necessitatem pariat, inpedire potest. *Vid.* PUFFEND. *J. N. et G. L. IV. C.* 2. §. 24. At vero idem Princeps juris Naturae leges neqne immutet, neque ab earum observantia solvat quempiam, quod ne Deus ipse quidem po-

(*) *Vid. interpp. ad* PUFFEND. *de O. H. et C. L. I. C.* 2. §. 9.

(**) *Vid.* RAEVARD. *ad* PLAUTI *Rudent. Act. V. Sc. III*, VS, 58.

potest, cum, quicquid recta ratione constitutum est, et ad ejus normam exactum, immutabile et optimum sit, quod vero optimum, ab illo non sit recedendum, neque majori bono minus bonum anteponendum. Ergo, si jusjurandum ita sit conceptum, ut obligationem naturalem, atque adeo bonis moribus consentaneam, neque legibus publicis adversantem proferat, ejusdem nullo modo Princeps gratiam faciat. Quod si verum est, quo jure Pontifices affirmationis religiosae obligationem tollant, non facile dixerim.

Nam, cum Principes quidem ad eam rationem, quam memoravimus, jurisjurandi gratiam facientes, illud subjectis suis praestare possint, minime vero alienis, nullo jure Pontifices exterarum regionum cives a foederum et pactorum sancta obligatione dissolvere possunt: nam inepta est illa, ne dicam putida ostentatio, quasi vicarii JESU *Opt. Max.* in omnes omnino Christianos imperii jure gauderent. Neque, licet hoc concederemus, a quo tamen maxime sumus alieni, eo-

rum opinio, qui talem auctoritatem Papis concedunt, probabilitatis commendationem habet.

Nam, ſi cuipiam facultas illa daretur, qua, pro lubitu, affirmatione religioſa confirmatas obligationes tolleret, et foedera etiam maxime religioſa diſſolveret, tranquillitas ſocietatis humanae, cujus ſemper ratio habenda eſt, perturbaretur. Omnis jurisjurandi uſus inanis et eſſet et haberetur verborum conceptio, ſi jurans, cum in damnum ſuum juraſſet, haberet, quo confugeret, et a quo jurisjurandi gratiam peteret. (*) Numen ſupremum denique laederemus, ſi mox post jusjurandum, ad illum, qui ab ejus religione nos ſolveret, nos reciperemus. Quae cum ita ſint, licet GROTIUS *de J. B. et P. L. II. C.* 13. §. 20. Pontifices, quaſi qui vicem ſummi imperantis gerant, id jus conſecutos eſſe affirmare videatur, ſtatuendum eſt,

ju-

(*) *Quodammodo illud quoque cogitaſſe cenſeantur Romano-Catholici, cum promiſſis juratis adderent, ſe, licet gratiam jurisjurandi acciperent, nihilominus fidem ſervaturos. Vid.* MATTHAEI *Anal. Vet. Aevi. T. I. p.* 666.

jurantes propterea a jurisjurandi servandi necessitate minime liberatos esse, quod Papa illos jurisjurandi obligatione solverit.

Sit igitur affirmationis religiosae tanta vis, tanta religio, quae non dicam ab omni specie perfidiae mortales arcere, sed ab ipsa cogitatione perjurii deterrere possit. Ac ne hoc ita a me proferri quispiam in animum inducat, ac si nunquam a data fide, cum temporum, tum aliarum rerum rationes recedere permittant, imo vero postulare videantur. Dicam quod sentio, et, ut arbitror, dicam vere. Nemo mortalium, si rem perfectioni naturali officientem jurarit, obligationis necessitate teneatur. Jam primum omnium illud teneamus, in omni promissione tres potissimum caussas esse observandas; *illi qui promittit, ad promittendum sit idoneus: res ipsa promissi sit capax: et possit praestari a promittente. Vid.* GROTII *Oper. Theol. T. II. p.* 61. Ab his praeceptis, tanquam a fonte, omnis nostra ratiocinatio ducatur. Jusjurandum igitur,

 un-

unde damnum in genus humanum dimanaret, nullam officii neceſſitatem parit. Etenim actiones noſtras ad doctrinae moralis leges exigere debemus, atque adeo nihil agere poſſumus, unde genus humanum aliquid detrimenti capiat. Atque nullum vinculum tam arctum eſt, tam indiſſolubile, quod nos obliget ad illa facienda, quae officio ſunt contraria. Turpe eſt valdeque vitioſum, ad rem illicitam perpetrandam ſe obligare, et temporum adeo negligere rationem, ut, ſi quid promittis, conſequentia non cernas, atque adeo generi humano damnum infligere poſſis, quod, cum contra officium ſit, nequaquam ejusmodi jusjurandum ſervandum eſt, et inprimis cavendum, ne culpa culpae addatur; nam, ut egregie PHILO Judaeus, laudatus a GROTIO *de J. B. et P. L. II. C.* 13. §. 6. *Dupla eligere mala, cum parte altera exonerari poſſis, inſanabilis eſt furor et mentis inopia.* Sic Gallus quidam Eques cum juratus promiſiſſet, ſe, parta libertate, Gulielmum Primum interfecturum, laudari meretur,

quod

quod jusjurandum violarit, licet se ad scelus obligare non debuisset. *Vid.* CERISIER *Tableau de l'Hist. des Prov. Un. T. III. p.* 519. Et cum saepe incidant tempura, quibus ea, quae justitiae consentanea erant, commutantur, ut, quae modo optima, dein temporum vicissitudine homine bene morato minime digna esse videantur, ita fit, ut non servare fidem rationum mutatione saepenumero justum sit. Atque hanc in rem exemplum Sauli conferre non alienum sit.

Scilicet jurarat, se interfecturum quemcunque cibum gustantem ante solis occasum deprehenderet: quid autem? Jonathanus paterni mandati ignarus ad illud se non conformavit. *Vid.* SAMUEL *L. I. C.* 14. vs. 24. sq.

Mea quidem sententia, Saulo nulla obligatio incumbebat, quia leges ignorantem non obligant, et, quod hoc loco inprimis observandum est, sine dubio damnum in gentem Judaeam redundasset, si Jonathanus, talis tantusque vir, e medio esset sublatus. Porro multa, quae initio recta et ita comparata videantur, ut pro-

promiſſionis ſint capacia, temporibus fiunt non recta. Quare promiſſa, quae iis, quibus non ſunt utilia, promiſeris, ſaepenumero non ſunt ſervanda, ut exemplis, e fabula petitis, oſtendit CICERO *de Offic. L. III. C.* 25. Atque ex hac ratione HERODES nullo pacto fidem filiolae ſervare debuerat, incautus enim promiſerat. *Vid.* MATTH. *C.* 14. vs. 6. ſq. Nulla utilitas in illam, cui jurarat, ex impleta promisſione redundabat, generi autem humano damnum infligebatur, jusjurandum ergo potius non ſervandum, quam tam taetrum facinus admittendum fuit. In ſimile fere cauſa Eques quidam Gallus forte Herodem ad imitationem traxiſſet, niſi temporum rationes, quo minus id fieret, obſtitiſſent. *Vid.* MILLOT *Hiſt. Gall. T. I. p.* 251. conf. SAVARY *Lettres ſur L' Egypte T. I. p.* 329.

Cum curandum ſit, ne cui noceatur, et communis utilitas adjuvetur, ſequitur, ut, quidquid hujus perfectionis naturalis praecepto repugnat, jurejurando ne-

nequaquam fit affirmandum, juratum vero, non tenendum. *Vid.* GROTIUS *de J. B. et P. L. II. C.* 13. §. 7. et PUFFEND. *J. N. et G. L. IV, C.* 2. §. 10. Fieri poteſt, ut ad aliquid praeſtandum, quod re vera honeſti habet commendationem, nos obligemus, mutatis autem temporibus, inhoneſtum illud fit, valdeque vitioſum. Sic, (ut hoc utar) juratus, te celaturum quid, quod fidei tuae commiſſum eſt, promiſiſti, in ea opinione verſatus, illud honeſtum fore, ubi autem Reip. ſaluti illud contrarium cognoris, evaneſcit omnis obligatio. Quod recte intelligebat Nicomachus, cum, poſtquam per praeſentes Deos juraſſet, ſe, quae ſibi committerentur, ſilentio eſſe tecturum, propoſitum Regi pernicioſiſſimum eſſe cognoſceret, *nulla religione, ut ſcelus tegat, ſe poſſe conſtringi*, affirmavit. *Vid.* CURT. *L. VI. C.* 7. *no.* 5.

Dum nihil ratum ſit, quod per vim actum eſt, jusjurandum ita conceptum, nulla religione confirmari mihi vere videor eſſe dicturus; nam inprimis requiritur

tur, ut, quidquid agis, ex voluntate agas, cum haec animi facultas, Intelligentiae et Libertatis focia, animum adducat ad honeftum et utile, actionesque humanas, cum internas, tum exrernas dirigat, coacta autem, nihil agere cenfeatur. Si vero voluntas temporibus cefferit, et alteri juratum fit, ejusmodi jurisjurandi effectus ita habeatur, ut, quantum promiffum juratum perfectioni naturali non officiat, tantum valeat ad efficaciam.

Quicunque igitur vitae periculo ad actum illicitum praeftandum cogatur, et ad id fe obligarit, nulla religione tenetur. Quis enim eft, qui, a natura ad honefta quaeque formatus, a fceleribus non abhorreat, et fi metu mortis ad talem promiffionem fit coactus, illam exfequi non denegat? Quin, fi juraverit, potius ftatuendus eft non juraffe, quia fieri nullo pacto poteft, ut Deus invocetur et teftis et vindex, fi non ea peregeris, quae tum perfectioni naturali, tum ipfius Numinis fupremi voluntati contraria funt. Quare non erat, quod M. POMPONIUS *Trib. Pleb.*, qui ob

ra-

rationes ſatis idoneas L. Manlio diem dixerat, et ab ejus filio ſtricto et impoſito gladio jurare coactus erat, ut a cauſa deſiſteret, (*Vid.* LIVIUS *L. VII. C.* 5.) non erat ergo, quod jusjurandum ſervaret. Aliter vero comparati erant juvenes illi Romani, qui, cum duce Metello transfugiendi conſilium cepiſſent, a Scipione vi coacti ſunt, ut propoſitum relinquerent, et ſidem Reip. juratum promitterent. *Vid.* LIVIUS *L. XXII. C.* 53. Illi profecto in perjurium incidiſſent, ſi pactis non ſtetiſſent, cum duplici modo, boni civis officio et affirmationis ſanctitate, tenerentur.

Sed in caſu priore ſine perjurii ſuſpicione, promisſionem coactam non ſervare Tribunus facile potuerat, quia, ſervato jurejurando, non poterat non contra officium agere. Ab hac mea ratiocinatione illa conſecutio proficiſcatur, quod, cum violatum ejusmodi jusjurandum nulla perjurii ſuſpicio conſequatur, illi officio deſint, qui mortem ſubire, quam jurejurando ſe obſtringere malint, praeſertim, ſi ii ſint, qui vivi multam

uti-

utilitatem Reip. atque hominum ſocietati afferre posſint. Itaque vi coactus nemo obligatur, ſed, cum illius ſit, quem bonum virum dicimus, reverentiae Deo debitae non immemorem eſſe, ſemper jurijurando, licet vi coacto, ſtet, neque unquam ulla ratione adducatur, ut datam fidem fallat, quatenus res licita ſit jurata.

Atque ita nos Stoicis non adſcribimus, (quibus coacta voluntas tamen erat voluntas. *Vid. L.* 21. §. 5. *D. quod metus cauſa*) cum voluntatem hominis ad ſcelus perpetrandum cogi non poſſe exiſtimemus. Praetores Romani a Stoicorum placitis maxime alieni, vi promittentibus exceptionem *quod metus cauſa Vid. L.* 1. *Tit. eod.* concedebant. Deinceps porro *Fredericus Imperat.* egregia lege conſtituit, ſacramenta puberum per vim, vel per juſtum metum extorta, nullius eſſe momenti: *Vid. L.* 1. *C. ſi adverſus venditionem.* Dignum eſt, quod obſervetur, nonnunquam ſummum Imperantem vi extorti jurisjurandi gratiam facere,

quem-

quemadmodum a Camera Imperiali factum eſt, cum Epiſcopis Bambergiae et Wurtsburgiae jurisjurandi, quo iniquas pacis conditiones, easdemque vi expresſas, confirmarant, gratiam fecerit. Vid. ROBBERTZ. *Hiſt. Car. V. T. VI. p.* 30.

Hic locus me admonet, ut de abjuranda mentis cogitatione aliquid ſubjiciam. Quum nemo unus ſit, qui non veritatem, i. e. quae mente et cogitatione ſua complectitur, ex animi ſententia profiteri debeat; licet multi mortales inventi ſint, et adhucdum inveniantur, qui, quid ſentiant, etſi optimum ſit, tamen invidiae et periculi metu non audeant dicere, id tamen primum omnium teneamus, cogitationes noſtras nullo pacto poſſe mutari, ſi intelligentia, qua illas percipimus, nos ad id non adducat. Ergo nemo facile ſuam animi de quacunque re ſententiam abjuret; et riſum moveant illi, qui ad hanc dementiam proceſſerunt, ut hominibus tale jusjurandum imponerent, quemadmodum Galilaeum a Galilaeis Copernicanam ſenten-

tiam abjurare coegerunt homines, qui ad harum rerum intelligentiam a natura parum habebant instrumenti. Vid. GESNERI *Isagog. T. I.* §. 422. et conferatur, quod de *Richero* narrat MILLOT *Hist. Gall. T. II. p.* 295.

Exposui fere, ut potui, quae maxime ad illa pertinere arbitrabar, quae modum attingunt, quo jurisjurandi religionem violare licet. Restat, ut ostendamus, quam late pateat jurantium obligatio.

Numini supremo magnam habendam et tribuendam esse reverentiam omnes fatentur. Igitur, si cujusdam rei testis, perjuriique vindex sit invocatus, illa invocatio et magni ponderis est et gravis. Atque in omni causa illud, quod juratum est, teneatur, si vel maxime commodorum nullam habueris rationem. Haec enim illius, quem bonum virum dicimus, nota sit, ut illud, quod juraverit, cum detrimento suo praestet. Vid. *Psalm* XV. vs. 23. Icciro, si qui temporibus adducti hosti promiserint, est in eo fides conservanda, ut egre-

gie praecepit CICERO *de Offic. L.* I. *C.* 13. Haec autem, cum minime a temporum rationibus pendere debeat, ipsa Deo habenda reverentia et justitia, perpetuae commendationis et famae fundamentum, homines bene moratos, ad perpetuam promissionum conservationem, etiam cum cujusvis mali metu, incitent necesse est. Ut bello cum Chinensibus Hambroekius, alter ille Regulus, captus ab illis, cum in urbem missus esset, ut Belgas ad deditionem incitaret, promisissetque se rediturum, primum, ut venit, urbem dedendam esse non censuit, deinde, cum retineretur a filiabus, et ab amicis, ad hostes redire maluit, quam conventis non stare. Vid. CERISIER *Tableau de l'Hist. des Prov. Un. T. VI. p.* 614. Neque sua laus Bellingio Praefecto denegetur: vid. WAGEN. *V. H. T. III. p.* 464. et CERISIER *T. II. p.* 97.

Si igitur hanc ratiocinationem veram assumamus, non possumus non, quotiescunque cogitatione nostra historiam percurramus, multa, tum a Romanis,

tum ab aliis gentibus, perpetrata a fide aliena, deprehendere. Conſtans illa ſemper fuit ac perpetua Romanorum vox, *ſuo atque populi injuſſu nullum potuiſſe foedus fieri*, (vid. SALLUST. *B. I. Cap.* 39.) quo magis a fide alienum non aliud quid facile dixerim. Etenim cum gente, quae ita eſt comparata, et, ſi rationibus non conducat, ſtatim ejusmodi exceptione ſe tuetur, nulla ratione vel pactum vel foedus iniri poteſt. Ne alia excitem, ſponſiones CAUDINA et NUMANTINA ſatis evincunt, ſi res quomodo ſit peracta, inſpicias, nihil magis bonae fidei repugnare, quam ita cum hoſte agere. Nemo ſit, qui mihi objiciat, ſponſiones ejus eſſe naturae, ut Reges vel populi illas, a legato initas, improbare poſſint, atque adeo non injuſte Romanos egiſſe, cum pacem, in furcis Caudinis factam, auctoritate ſua comprobare denegarent. Sponſionem inter et foedus ſatis magnam eſſe differentiam, eſt, quod nullo pacto negari queat. Vid. GROTIUS *J. B. et P. L. II. C.* 15. §. 1. *et* 16. Attamen

tamen, cum, si narrationem Livianam L. IX. ab initio inde inspicias, Romanorum res ita essent constitutae, ut, si illa sponsio non fieret, omnis exercitus vel occisione deleretur, vel in captivitatem abduceretur, nihil magis aequitati naturali, jurique inter gentes constituto, conveniebat, quam datam fidem servare. Vide PUFFEND. *J. N. et G. L. VIII. C.* 9. §. 12.

Jusjurandum dolo elicitum, ex eodem fonte derives; a quo illud, metu extortum, deduximus, quod, si perfectioni naturali officiat, non servandum est, si vero ab illa non recedit, nihil est, quod quempiam a tali religione solvat. Si enim res jurata ejusmodi sit, ut facile ad finem perducatur, neque contra officium quid exequendum sit, ac nihil minus juratus conventis stare denegat, illum non solum officio contrarium agere existimo, verum etiam perjuro simillimum esse judico. Sic, ut hoc utar, perjurus sit, qui, summo Imperante deferente, jusjurandum accommodatum ad Reip. statum, hoc vi coactum interpretetur. Cum praecavero,

ne quid Resp. detrimenti capiat, et civium commoda quavis ratione augere et amplificare inprimis ſit Imperantis officium, nihilque ad illud efficiendum, accommodatum ſit magis, quam praeſentem Reip. ſtatum nullo modo mutare, ſed e contrario, quoad ejus fieri poſſit, illum firmiorem reddere et conſtantiorem, neminem futurum exiſtimo, quin mihi aſſentiatur contendenti, ſi omnes cives jusjurandum, praeſentis Reip. ſtatus conſervationem affirmans conſervent, imperium poſſe ſubſiſtere. Hoc enim facto hominum turbulentorum audacia contineatur, et tranquillitas, qua nihil optabilius in Rep. eſſe queat, conſervetur. Sed haec hactenus.

Jam vero, quae hoc etiam loco pertractetur, digna eſt quaeſtio, utrum erga piratas et hoſtes fides quoque ſervanda ſit? Et profecto ipſe CICERO *de Offic. L. III. C.* 29. jusjurandum praedoni datum nullam obligationem ſortiri exiſtimans, *Si praedonibus*, inquit, *pactum pro capite pretium non attuleris, nulla*

*fraus*

*fraus est, ne si juratus id quidem non feceris, nam pirata non est ex perduellium numero definitus, sed communis hostis omnium, cum hoc nec fides debet, nec jusjurandum esse commune.* Hujus ratiocinationis patrocinium suscepit PUFFENDORFFIUS *J. N. et G. L. IV. C.* 2. §. 8. Idcirco quidem, quia praedo, societatis humanae hostis communis, legum divinarum humanarumque nullam rationem habens, se illum esse profitetur, qui nullo pacto Numinis supremi existentiam credat, atque adeo etiam nullum commodum ex ullo religionis vinculo percipere possit. At, meo quidem judicio, recte GROTIUS *de J. B. et P. L. II. C.* 13. §. 15. a Ciceroniana sententia plane alienus est. Nam, licet cum praedone illud jus, quod cum hoste legitimo, non intercedat (*Vid. L. III. C.* 3. §. 1. *Oper. Cit.*) nihilominus aliqua est juris societas, quoniam, ex principiis juris Naturae, officia, quae homo homini debet, ei tribuenda sunt, nam, si ex eo, quod alter officium negligit, ratiocinamur,

iccirco nos quoque ab officio posse recedere, turpis est et vitiosa ratiocinatio. Quid? quod juris civilis doctores praedoni jus perfectum tribuunt. *Vid. L.* 31. §. 1. *Depositi vel contra.* Nonne pacta et foedera cum piratis plus semel intercesserunt? Memoria modo replicemus nobilissimum illud, quod magnam partem Pompejus pactis confecit, Bellum Piraticum. Adde, quod cum praedonibus et fugitivis, qui in montibus Pyrenaeis erant, actum est, ut ex CAESARE *de B. C. L. III. C.* 19. monet GROTIUS *de J. B. et P. L. III. C.* 19. §. 2. Porro, si ad officii, quod in jurejurando versatur, rationem rem perpendamus, fidem etiam piratae esse servandam, facile est ad demonstrandum. Pudeat ergo illos, qui erga piratas perfidia utantur, quare Ruterus, vir caeteroquin incomparabilis, ab hac parte vehementer nobis reprehendendus esse videtur. Nota res est et legi potest apud CERIS, *Tabl. de l'Hist. des Prov. Un. T. VI. p.* 525. *sq.*

At

At dicet aliquis eorum, qui Ciceronianae sententiae suam quoque adscripserunt, sint ista, sicut vis, gaudeant piratae jure Naturae, atque adeo illis officia perfecta tribuantur, idem illud jus Naturae, illos, qui generi humano exitiosi sunt, ex hominum communitate exterminari jubet. *Vid.* GROTIUS *de J. B. et P. L. II. C.* 20. §. 8. Igitur, quemcunque honestum est necare, eidem jus suum, quod ex fide data et accepta consecutus est, adimere licet. Ego vero non dubitem contendere, haec minime quaestioni, quam tractamus, applicari posse, quoniam, quicunque cum praedone paciscitur, simul etiam illi poenam bene meritam remittere, et illa, quae minus honeste fecit, non amplius imputare censetur.

Jam vero si piratis fides data sit servanda, summo jure id sibi hostes legitimi reposcant. In bello nempe, cum per vim justam decertamus, ut ita jus nostrum consequamur, omni ratione contra hostes agere licet. Non tamen ii sumus, qui BYNKERSHOEKIO

assentiamur, cum venenum et percussores sine distinctione posse adhiberi contendat. *Vid. Quaest. Jur. Pub. L. I. C.* 1. Potius cum GROTIO facimus, qui veneficium excepit, et percussores, qui fidem expressam vel tacitam fallunt. *Vid. de J. B. et P. Lib. III, C.* 4. §. 15. et 18. Nam, cum dolo uti liceat

*Dolus an virtus quis in hoste requirat?*

illi non injusti sunt percussores, qui nocturno impetu hostium castra adoriuntur, et quosdam interficiunt, sicut Ulysses Thracum castra invasit. Unde egregie Penelope apud OVIDIUM *Heroid. Epist.* 1. *vs.* 41.

*Ausus es, o nimium nimiumque oblite tuorum,*

*Thracia nocturno tangere castra dolo;*

perfidiam autem in bello arcendam esse, illud est, quod omnes existimant. Etenim hostis, cum quo pacisceris, tunc temporis hostis neque est, neque haberi potest: nam cum verbis res decertatur, eo animo conveniunt, ut ad pacem animi conformentur. Inde, quid

quid ſit de illis ſtatuendum, qui ſub ſpecie colloquii hoſtibus datam fidem fallunt, illamque non deberi opinantur, facilis eſt concluſio, cum, quacunque ratione agas, ſemper Deo debitae reverentiae ratio habenda ſit, de qua re hoc capite ſatis multa jam diximus.

Verum enim vero cum operi inchoato, minime vero abſoluto tanquam faſtigium imponendum videriqueat, quidnam magis huic loco conveniat? quam, cum de fide dictum ſit, illius conſervationem etiam atque etiam commendare, quod ſi explicate exponere aggrederer, exitum non reperiret oratio. Satis ergo habeamus legendum commendaſſe GROTIUM de *J. B. et P. Lib. III. Cap.* 25.

---

CA-

******************************

# CAPUT TERTIUM.

## *DE RITIBUS ET FORMULIS.*

§. I.

De ritibus in re, quam disceptationis argumentum fumfimus, obfervatis hoc capite differere cum non alienum videatur, primum ritus, tum formulas confiderabimus. Cum igitur duplex effet jusjurandum, alterum *corporale*, Gr. *σωματικον*, alterum *incorporale*, de quo loquitur *L.* 3. *Cod. fi minor fe major.*, *εγγραφον* dictum, illudque figno quodam adhibito, hoc autem in aliquo, ut cum ICtis loquar, inftrumento fieret, nobis, miffo jurejurando incorporali, five fcripto, prius illud hic praecipue explicandum fumfimus. Si quis autem jurisjurandi incorporalis exempla quaerat,

ſat, adeat ad CANGII *Gloſſar. Graecit.* v. Ὅρκος. Equidem ad varios, quibus jusjurandum ſignificari potuit, ritus indagandos transeo.

Ab antiquiſſimis jam temporibus Deorum cultui delubra dicata fuerunt, neque Graeci et Romani Magos Perſarum, qui Deos parietibus includi nolebant, ſequebantur, ſed illis ſacrificia in templis offerebant, atque easdem illos, quas homines, urbes incolere volebant, ut ita augerent pietatem, ſi omnia, quae cernerentur, Deorum plena eſſe viderentur. (*) Hanc plurimarum gentium ſententiam fuiſſe, demonſtrare non cadit in inſtituti noſtri rationem.

Cum itaque quaecunque religionis eſſent, in templis peragerentur, in illis quoque homines ſe jurejurando devinxiſſe, nemo miretur. *Vid.* VALKEN. *in Diſſertat. Philol. de Ritib. jurisj. pag.* 58. Ad hanc ita-

(*) *Vid.* CICERO *de Leg. II.* 10. *conf.* VALCKEN. *Diatr. Eurip. pag.* 42. *Majores noſtri Deos cohibere parietibus non ex Coeleſtium magnitudine arbitrabantur. Vid.* TACIT. *de Mor. Germ. Cap.* 9.

itaque rationem in facellis domesticis jurabant, et facramentum ibi praestitum fanctissimum praedicabant. Vid. XENOPH. EPHES. *pag.* 24. conf. TRESLINGIUS, fraterno amore mihi conjunctus, *in Adv. Critic. Spec. Cap. III. pag.* 59. Apud eundem XENOPHONTEM EPHESIUM Polyidus Anthiam fe castam fervaturum in templo Isidos jurat. *Vid. pag.* 69. Idem illud apud Macedonas quoque moris fuisse ex CURTIO *L. IV, Cap.* 7. merito colligi potest. Sic apud Chinenses Provinciarum Praefecti coram geniis in templo jurabant. *Vid.* D'ORVILLE *Hist. des differ. Peup. T. I. pag.* 96. Et apud Graecos, athletae in loco facro fuper victimas immolatas jurabant, fe per decem menfes pugnis operam dedisse. *Vid. Voyage du Jeune Anacharsis en Grece. T. IV. p.* 225. In locis facris jurantes ad aras accedebant, antequam vero juraretur, facrificia nonnulli, post jusjurandum autem praestitum, alii offerebant. Apud Epirotas peracto facrificio Regi fides jurabatur. Vid. PLUTARCH. *in*

*Pyr-*

*Pyrro pag.* 385. Post vota Imperatoribus Rom. fidem dabat senatus Populusque Rom. hac formula *salutem honoremque Imperat. antiquiorem sibi cariorenque futurum suis liberis. Vid.* BERN. ad PLINII *Paneg. Cap.* 68. Samnitum milites, sacrificio perfecto, ad aras, victimis circa caesis, et circumstantibus (strictis gladiis) Centurionibus, admovebantur, et diro quodam carmine in exsecrationem capitis familiaeque composito, jurare cogebantur, nisi irent in proelium, quo Imperatores ducerent. Vid. LIV. *L. X. C.* 38. Agamemnon apud HOMERUM, sacrificio nondum peracto, at vero inchoato, jurejurando se ipse adigit, Vid. *Iliad. τ. vs.* 252. Qui plura cupit, adeat VALCKEN. *Dissert. laud. pag.* 44. conff. *Voyage d'Anacharsis en Grece T. III. p.* 150. et FEITH *Antiq. Homer. p.* 397. De eo autem, quod jurantes aras tangebant, Vid. BROUKH. ad PROPERT. *L. III. El.* 19. *vs.* 15. conf. JUVEN. *Satyr. XIV. vs.* 219. Sic Ptolomaeus in templo Jovis, sumtis in manus altaribus, ipsa simulacra

tra Deorum tangens juravit. Vid. JUSTIN. *L. XXIV.* *C.* 2. et Annibal altaribus admotus, tactis sacris, jurejurando est adactus vid. LIV. *XXI. C.* 1. et NEPOS in vita Cap. 2. Adde omnes in hoc jurejurando observatos ritus exponentem, SILIUM ITALICUM *L.* I. *vs.* 118. *sq.*

Apud Athenienses ad aras juratum fuisse, praeter illa, quae habet VALCKEN. *Differt. laud. p.* 42. videri potest locus CICERONIS *pro Balbo Cap.* 5. ad hanc rationem P. R. ad columnam, Caesari dicatam, controversias, interposito per illum jurejurando, distrahebant. Vid. SUET. *in Caes. Cap.* 85. Ex hoc more HORATIUS ad Augustum

*Jurandasque tuum per nomen ponimus aras.*

Vid. Epist. *L. II.* 1, 16. ibique LAMBINUS.

Christianos ad aras jurandi morem a Gentilibus accepisse docet VALCKEN. *Differt. laud. p.* 49. conf. MILLOT *Hist. Angl. T. I. p.* 283. tactis quoque Euangeliis jurarunt. Vid. D'ARNAUD. *Var. Conj.*

*L.*

*L.* 1. *C.* 10. *p.* 76. confl. MATTH. *Ann. Vet. Aevi T. II. p.* 749. BARCLAJUS *Comment. ad D. Tit. de jurejur. Cap.* 1. (*Thes. Jur. Ott. T. III. p.* 911.) Addatur lex illa Lombardorum, quam laudat MONTESQUIEU *Esprit des Loix L. XXVIII. Cap.* 18. Posterioribus temporibus ita quoque Romae juratum fuisse, docet NOV. 72. *Cap.* 8. Atque etiam illi, qui servorum quaestionem exposcebant, tactis *sanctis scripturis* jurabant, se in petitione odii nullam habuisse rationem: Vid. *L.* 1. *C. de jurejur. propter calumn.* Ita Hispani, dextra Euangelio imposita, Pacem Monasteriensem jurarunt. Vid. CÉRISIER *Tableau de l'Hist. des Prov. Un. T. VI. pag.* 248. conf. quod de Galliae Regis fratre narrat MILLOT *Hist. Gall. T. I. p.* 248. et digna sit, quae observetur, reservatio Portugalli cujusdam, qui se super Euangelium jurare fingebat, cum re vera alium librum suppofuisset. *Vid.* RAYNAL *Hist. Phil. Pol. T. I. p.* 169. (*) Eodem mo-



(*) *In Anglia quondam filia gravida aliquem, quem mo-*

modo, quo Christiani, tactis Euangeliis, Muhamedani manu, *Alcorano* imposita, jurant. Vid. VALCKEN. *Dissert. laud. pag.* 53. conf. WATSON *Hist. Philippi II. T. I. p.* 162. Qui mos fortasse ab Atheniensibus profluxit, cum apud illos supra leges Archontes, magistratum auspicaturi, jurare tenerentur. Vid. *Voyage d'Anacharsis en Grece T. II. p.* 271. Si in genere hujus ritus rationem investigemus, inde repetatur, quod, cum, quaecunque oculi percipiunt, ad animum veluti transferant, ad rei religiosissimae vim confirmandam, nihil magis accommodatum fuerit, quam rerum sacrarum contactus.

Neque tantum super Euangelium Christiani jurabant, verum etiam super sanctorum reliquias, quas sanctas esse homines superstitiosi opinabantur, cum Duces exercituum saepenumero ab urbium obsidione desisterent, ut

*modo vellet, incertae stirpis patrem nuncupabat, quo vocato,* super Euangelium *jurabat, illum futurae prolis parentem esse. Vid.* D'ORVILLE *Hist. de differ. Peupl. T. VI. p.* 378.

ut ejusmodi reliquias ſibi conſervarent. Vid. MONTESQUIEU *Grandeur des Romains* etc. *pag.* 249. Sic Robertus Galliae Rex, ne perjuria committerentur, ſuper arcas, quae reliquias continuerant, cives jurejurando adigebat, atque illas perjurio optimam fore medicinam ſibi perſuadebat. Vid. MILLOT *Hiſt. Gall. T. I. p.* 161. Plura ejusmodi ſuperſtitionis exempla cum apud alios, tum apud Anglum eundem inveniuntur *Hiſt. T. I. p.* 35. et 69.

Res ſacrae non modo a jurantibus, verum corporis quoque partes nobiliores, v. c. caput, tangebantur. Vid. Auctor *Hymn. in Ven.* vs. 26. conf. SOPHOCL. *in Trachin.* vs. 1181. *Edit. Brunck.* Caput tangentes per illud jurabant, ut Briſeis ad Achillem apud OVIDIUM *Heroid. Epiſt. III.* vs. 103.

*Perque tuum noſtrumque caput! quod junximus una.*

conff. *Heroid. Epiſt. XIII.* vs. 161. VIRGIL. *Aen. L. IX.* vs. 300. et *IV*, 357. OVID. *Triſt. L. V. El.* 4. vs. 45. JUVEN. *Satyr. VI.* vs. 16. Oculos tangebant

(Vid. BROUKH. ad PROPERT. *L. I. El.* 15. vs. 33.) per illosque jurabant, quod praecipue amatorum erat. Inde OVIDIUS ad amicam *Amor. L. II. El.* 16. vs. 43.

*At mihi te comitem juraras usque futuram*

*Per me, perque oculos, sidera nostra, tuos.*

conff. *Amor. L. III. El.* 3. vs. 10. et TIBULL. *L. III. El.* 6. vs. 47.

In tangenda dextra magna erat religio, inprimis apud Hebraeos, (quemadmodum e *Prov. VI*, 1. *XI*, 15. *XX*, 26. et aliis locis colligi potest) et apud Graecos. Vid. SOPHOCL. *Philoct.* vs. 813—816. *Oedip. Tyran.* vs. 1510. Atque ex hoc more Dido ad Aeneam apud VIRGIL. *Aen. L. IV.* vs. 307.

*Nec te noster amor, nec te* DATA DEXTERA *quondam?*

conf. OVID. *Heroid. Epist.* vs. 31. Inde obtestationes illae *per dexteram* (v. c. apud CICERONEM *pro Dejotaro. Cap.* 3) quae magni ponderis habebantur. *Vid.* CORTIUS *ad* SALLUST. JUGURT. *Cap.* 10.

Hic

Hic autem mos repetatur a sanctitate, quae in danda accipiendaque dextera ponebatur, de qua nonnulla monuerunt CLAUDIUS CHIFLETIUS IC. *de jure Fideicommiss. Cap. IV. (Thes. Jur. Otton. T. V. p. 777.)* FEITHIUS *Antiq. Homer. p.* 399. FREINSH. ad CURT. *L. VI. C.* 4. *no.* 14. et VAN STAVEREN ad NEPOTEM *in Datame Cap.* 10. Adde, quae de Antiochi porrecta, et Popilii negata dextra narrant LIVIUS *L. XLV. c.* 12. & POLYBIUS *Excerpt. Legat. c.* 92.

Jurantes quoque manus ad coelum tendebant. Abrahamum ita jurasse, cum se ex praeda nihil accepturum Regi Sodomae affirmaret, res nota est. Vid. *Genes. Cap. XIV. vs.* 22. Ita apud DANIELEM *Cap. XII. vs.* 7. occurrit quispiam, qui manus utrasque ad coelum porrigit: et Agamemnon apud HOMERUM sublatis manibus Jovem testem invocat. *Vid. Iliad.* γ *vs.* 254. Latinus apud VIRG. *Aen. L. XII. vs.* 196.

*Suspiciens coelum tenditque ad sidera dextras.*

Sic deinceps apud Belgas digitis elatis jurabatur, *met opgerechte vingeren*, teste MATTH. *Anal. Vet. Aevi. T. V. p.* 601. (*). Cum ii, qui Deos precabantur, vel alloquebantur, ad coelum manus tenderent, ad illorum exemplum jnrantes illud quoque fecisse, vere mihi dicere videor. Ac nemini ignotum sit, morem, quo in jurando manibus pectora tangebant, ab illo ritu derivari, quo tristitia affecti, magnoque luctu gravati pectora tundere solebant. (**)

Quemadmodum supplicum erat flexo genu ad deprecandam calamitatem, vel ad Deorum auxilium invocandum, aut nonnunquam etiam, cum ad Reges accederent, discumbere, non est, quod miremur, ad hanc rationem jurantes ita se jurejurando devinxisse.

Sic

(*) *Antiquitus jam digitos ad coelum sustulerunt, ut ex numismate Impp. Diocletiani et Maximiani colligi potest: Vid.* OTTO *in Dissert. de Perjurio per Genium Principis Cap.* 1. §. 6. (*Dissert. P.* 1. *p.* 260)

(**) *Videantur modo e multis*, OVID. *Heroid. Epist. XI vs.* 91. *Trist. L* 1. *El.* 3. *vs.* 78. VIRG. *Aen. L. XII. vs.* 154. conf. *vs.* 871. et *L. XI. vs.* 37. et 86.

Sic Reges Galliae, cnm regnum capesserent, flexo genu jusjurandum praestabant Vidd. BURY *Vie de Henri IV. T. II. p.* 269. et MILLOT *Hist. Angl. T. I. p.* 164. (*). Atque eodem corporis habitu majores nostros Philippo II fidem jurasse, Frisios vero stantes in antiquae libertatis signum, ad sacramentum accessisse, narrat CERISIER *Tableau de l'Hist. des Prov. Un. T. II. p.* 598. Tale quid memoriae proditum est de Spartanorum legatis, qui coram Xerxe, Persarum more, genua flectere denegasse perhibentur, Vid. HERODOT. *L. VII p.* 485. *Edit.* 1592. Non tamen veri est simile, alios, exceptis Frisiis, Ordines Regionem genubus flexis jurasse, cum is corporis habitus quondam poenae loco esset (consulantur modo *Privileg. van Haarlem p.* 98. et III.) atque Frisii, cum Ao. 1500. adversus Albrechtum, Saxoniae Ducem, arma infelici eventu gesserant, ge-



(*) *Regem Poloniae in templo, genubus flexis*, pacta conventa *se servaturum jura observat* D'ORVILLE *Hist. des differ. Peup. T. VI. p.* 451.

nubus flexis, fupplicum more, poenam deprecari cogerentur. Vid. WAGEN. *V. H.T. IV. p.* 318. Praeterea, ut narrationem CERISIERII arguamus, facit PONTUS HEUTERUS, qui, dum ipfe interfuiffe teftatur, in fua hujus inaugurationis narratione ne verbum quidem de fingulari illa caufa memorat. Vid. *Auftriacar. L. XIV. Cap.* 1—4. Neque obftat, quod tempore inaugurati Caroli V. cives et incolas Belgii flexis genubus juraffe dicunt, cnm A. MATTHAEUS *de Nobil. L. III. C.* 1. *p.* 873. eos detecto capite et prioribus fublatis digitis jusjurandum praeftitiffe, tantummodo autumet, et SCHOTANUS *Frif. Hiftor. L. XVII. p.* 574. fqq. late de hac follemnitate agens, genu flexi mentionem non faciat. Fortaffe fabula ifta ignotae appellationis *ftand-Friefen* origini ortum fuum debere cenfenda eft.

Non folum corporis membra tangebant, verum etiam conjurati corporis humani fanguinem deguftare folebant, et fuper illum jusjurandum cum exfecratione

con-

concipere, Vidd. FREINSH. et DUKER. ad FLOR. *IV, I,* 4. conf. CORTIUS ad SALLUST. *Catil. Cap.* 22. (*). Ita etiam medio aevo Scythas imitabantur, (*Freres d'armes*) cum foedus fociale fancirent, et ab utraque parte fanguinem ebiberent. Vid. MILLOT *Hift. Gall. T. I. p.* 380. Ad eandem rationem apud Siamenfes hodie amicitiam contrahentes, ut eo firmius et arctioribus quafi vinculis iftud amicitiae foedus nectatur, amicus amici fanguinem deguftat. Vid. D'ORVILLE *Hift. des differ. Peup. du Monde. T. I. p.* 486. Quicunque hujus moris originem indagare velit, fententiam fortaffe probabilem reddere posfit, cum a deteftabili immanitate, qua homo hominem Deis facrificabat, (**) illam deducat.



(*) *Ab ejusmodi conjuratione diftinguatur militum, usque ad internecionem fe pro patria dimicaturos, jurantium ritus, qui* conjuratio *dicebatur, quemadmodum docet* VERTOT. *Hift. des Revol. de la Rep. Rom. T. I. p.* 348.

(**) *Pleraeque olim nationes barbarae, Deos fanguine humano placandos effe, exiftimarunt. Sic Germani* Mercurio *hominum facrificia offerebant. Vid.* TACIT. *de*

Cum e re civitatis esse videatur, cives omnes, praesertim illos, qui ad munera publica animum appellunt, jurejurando, quo patriae fidem, et legibus observantiam promittant, adigi, ita etiam non alienum videatur, illos, qui longinquo veniunt, qui sint, et qualis sit sua agendi ratio, profiteri. Ab hac ratione morem velim deducas, quo apud Romanos patriam, negotia, et nomina, jurejurando interposito, peregrini profiteri

co-

*de Mor. Germ. Cap.* 9. *Galli quoque. Vid.* CAESAR *de B. G. L. VI. C.* 16. conf. CICERO *pro Fontejo. Cap.* 10. *Majores nostri. Vid.* CERISIER *Tabl. de l'Hist. des Prov. Un. T. I. p.* 110. *Veteres populi barbari. Vid. Reg. II,* 3. *vs.* 27. *Barbari Americani Vid.* ROBBERTZ. *Hist. Am. T. II. p.* 112. et *p.* 356. *T. III. p.* 44. et 48. conf. D'ORVILLE *in opere plus semel laudato T. V. p.* 217. *Antiquitus Dani ita quoque agebant. Vid. l. l. T. VI. p.* 411. *et Sueci Regem suum, rebus Reip. desperatis, Deis, tanquam optimum, quod illis offerri possit, sacrificabant. Vid. l. l. pag.* 423. *Est sane, quod exhorrescamus, barbarum illum morem apud Graecos quoque et Romanos obtinuisse. De Graecis Vid. Voyage d'Anacharsis en Grece T. III. p.* 15. et *T. V. p.* 12. *De Romanis autem legatur* LIVIUS *L. XXII. C.* 57. *Recte vero* PAULUS *Recept. Sentent. L. V. Tit.* 33. Qui hominem immolaverint, exve ejus sanguine litaverint, fanum templumve polluerint, bestiis objiciuntur. *Ad quem locum vid.* SCHULTING. *in Jurisp. Antejust. pag.* 533. conf. *de liberorum immolatione* SPENCER *de Legg. Heb. Ritual. pag.* 366.

cogebantur. Vidd. GRONOV. *Obff.* *IV*, 3. *et Interp.* *ad* PLAUT. *Trinum.* *Act.* *IV.* *fc.* 2. *vr.* 30. Cenfores inde *juratores* dicti funt, (*) cum faepenumero univerfum populum Romanum jurejurando adigerent, et nulla alia de re diligentius quam de facramento judicarent. Vid. CICER. *de Offic. L. III. C.* 31. Romae porro Coff. apud abeuntes Magiftratu jurabant, nihil fe contra leges facturos, illos vero, fe nihil contra easdem feciffe, Vid. GRONOV. *Obff.* *IV*, 16. Dignum eft, quod hic a me addatur Ciceronis factum, qui cum in concione ex more, (quo nempe Coff., antequam jurarent, ad populum verba faciebant) dicere vellet, et a Tribuno Plebis in medium proferre prohiberetur, quae conftituerat, magna voce juravit, Remp. fua unius opera effe falvam, quale Jusjurandum populus, juratus ipfe, uno et pari confenfu approbavit. *Vid.* MIDDLETON *Hiftoire de Ciceron. T. I. p.* 358. Tanta erat viri magni exiftimatio, tan-

(*) Conf. TURNEB. *Adverf. L. XIX. Cap.* 12.

tanta apud cives ſuos nominis commendatio, et populi beneficiorum in ſe collatorum recordatio. Sed haec ἐν παρόδῳ.

Non tantnm Coſſ. Romani ſe legum cuſtodes fore jurabant, ſed Archontes quoque apud Graecos eandem obligationem ſuſcipiebant, imo vero addebant, ſe nunquam dona accepturos. Vid. *Voyage d'Anacharſis en Grece T. II. p.* 271. Senatores autem, ſe bona conſilia Reip. daturos. Vid. PETIT. *ad Legg. Attic. p.* 192; quemadmodum ſenatores Rom. ſe ex animi ſententia (id eſt *ex conſcientia et ſincera fide*, quemadmodum explicat CUJACIUS *in L.* 2. *C. de jurejur. propter calumn.* pro *ex animi ſcientia jurent*, EX ANIMI SENTENTIA *legens in Obſſ. L. I. Cap.* 21.) judicaturos, quod e fide ſua reque publica videretur. Vid. LIPS. ad TACIT. *Annal. L. IV. C.* 21. Athenis judices jurati (quales quoque Romanorum erant, ut ex CICERONIS loco *Acad. Quaeſt. IV*, 47. colligi poſſe autumo) ſe obligabant, ut omni vi contra

tra illos agerent, qui praesentem Reip. statum mutare vellent, atque dira in se, familiamque, imprecatione ista sollemnitas perorabatur. Vid. *Voyage d'Anacharsis en Grece T. II. p.* 278. Quemadmodum apud Judaeos nihil fere actum fuit in judicio, quod non jurisjurandi religione firmaretur, Vid. GROTIUS *ad Matth. Cap. V. vs.* 33, ita apud Graecos in causis judicialibus religiosae affirmationis usus saepenumero occurrit. Sic, ut hoc utar, (nam omnia enumerare longum est) aliquo caedis accusato, Actor, antequam judices ad accusationis dijudicationem curam suam referrent, immolatis victimis ad aras των σεμνων Θεων jurabat, et, si calumniae gratia reum in jus vocavisset, in se, suamque familiam, exitium imprecabatur. Reus porro Deos in se, liberos, posterosque, ultores invocabat, nisi innocentiam suam probaret, atque adeo injuste se ab accusatore in periculum capitis esse adductum affirmabat. Prima habita oratione, reus in defensione sua se veritatis habuisse rationem, accusator autem, se

in

in agenda caufa jure proceffiffe iterum religiofe affirmabat. Hac follemnitate peracta, judicum erat, de accufatione judicium ferre, tum vero ille, qui a certamine judiciali victor difcedebat, judices, qui ex animi fui voluntate fententiam dixerant, optime judicaffe, follemni adhibita imprecatione, jurabat. Vid. omnino, hunc ritum late et erudite exponentem, LUSACIUM *V. C. Exercit. Acad. Spec. III. p.* 172. fq. (*). *A* Graecis ad Romanos profectus eft ritus ille nobiliffimus, cum per lancem liciumque furta conciperent, Deis invocatis teftibus, fe quaerendi furti animo domos intrare. Sed, cum tot fint virorum doctorum de hoc ritu fententiae, ut nemo ad noftra usque tempora hunc ritum recte expofuerit, ingenii mei mediocritati facile condonetur, fi lectorem ad HEINECCIUM remittam, in *Antiq. Rom. ad Inftit. IV, Tit. I.* §. 13. fq. conf. CONRAD. ad GELLIUM *N. A. XI*, 18.

Cum

(*) *Cum hoc more conferri meretur ritus ille apud Ceilonae incolas in judicio receptus. Vid.* D'ORVILLE *Oper. cit. T. II. p.* 265.

Cum apud Romanos juris civilis summo semper in honore fuerit cognitio atque interpretatio, et in id principes in civitate viri potissimum incumberent, ut cives consilio juvarent, atque juris scientia quam plurimis prodessent, posterioribus temporibus jurisprudentiae splendor deletus est, immo nullus esse coepit, cum gladio et *speciminibus*, quae dicuntur, *juridicis* lites existimarentur. (*).

Etenim per miraculum Numen supremum voluntatem suam indicaturum sibi mortales persuadebant, cum illum, qui, ut hoc utar, manu ferrum igneum prehenderet, illamque intactam servaret, judicio ipsius

Dei

(*) *Ista fuit sane jurisprudentiae conditio medii aevi temporibus*, *vidd.* ROBBERTZ. *Hist. Car V. T. I. p.* 104. WAGEN. *V. H. T. III. p.* 118. MILLOT *Hist. Mod. T. I. p.* 142. et 331.. conf. SPENCER *Legg. Ebraic. Ritual. p.* 657. *Itaque certamine judiciali lites saepenumero dirimebantur. Vid.* MILLOT *l. l. pag.* 87. et 319. conf. MATTH. *Anal. Vet. Aevi. T. III. p.* 214. *Quomodo in Gallia receptum fuerit ejusmodi certamen judiciale*, *ostendit* MONTESQUIEU *Esprit. des Loix. L.* 28. C. 18. *Danos*, *qui illud quoque. adhibebant*, *manubis malle*, *quam foeminarum more altercationibus lites dirimere*, *monet.* D'ORVILLE *Hist. des differ. Peup, du monde T. VI. p.* 427.

Dei absolutum esse crederent. In judiciis itaque ejusmodi probationes saepenumero obtinebant, quin et eo pervenit imbecillitas humana, ut jusjurandum etiam interponerent, cum Deum in perjurum statim animadversurum crederent. Sed quid moramur in incusanda ignorantia istorum hominum, qui, pro tempornm ratione, aliter se gerere non potuerunt? Est vero, quod magis admiratione nostra dignum habeatur, cum ipsos Graecos et Romanos, sapientiae magistros, ab ejusmodi superstitione non alienos fuisse, videamus. Etenim, secundum Philostratum perjurii suspectis potum aliquem, *υδωρ του ελεγμου* dictum, ministrabant, cujus ea vis credebatur, ut, *ευορκοις* gustu dulcis esset, *επιορκοις* vero pustulis ac vomicis omne corpus inquinaretur. Vid. PHILOSTRATUS, laudatus a SPENCERO *Legg. Ebr. Ritual. p.* 656. (*). Non tamen is sum,

(*) *Cum hoc more quodammodo convenire videtur ritus ille in regno* Monomotapae *receptus, de quo* D'ORVILLE *Oper. Cit. T. IV. p.* 399. *aeque ac* Ostiakensium *ille, quem auctor laudatus memorat. T. IV. p.* 327.

ſum, qui, iſtam quoque Philoſophorum reliquorumque hominum, qui cum eruditione, tum ingenio praeſtabant, ſententiam fuiſſe, affirmare audeam; ſed, cum gentium mores tractemus, et ſapientes ad plebis de religione cogitandi rationem actiones ſuas conformarint, ejusmodi ritus, ſuperſtitione notatos, tacitus praeterire non poſſum. Neque hic mihi tempero, quin ritum quendam Graecorum, minus fortaſſe cognitum, proferam. Scilicet in Graecia quondam jurantes, poſteaquam ferrum ignitum, quod per aliquod temporis momentum manibus portabant, in mare projecerant, ea, quae affirmaſſent, permanſura eſſe, donec ferrum iſtud quaſi emergens iterum appareret, ſollemni modo jurare ſolebant. Id enim indicare videtur *Scholiaſt. ad* SOPHOCL. *Antig. vs.* 264. *T. III. p.* 158. ed. BRUNCKII; modo recte verba vertantur: Ειωθασι γαρ οι ομνυοντες ταυτα ποιειν. μυδρους γαρ αιροντες, οπως αν αιωνια τα ορκια υπαρχη, ριπτουσιν αυτους εις θαλασσαν, και επαρωνται μενειν τα ορκια, εως αυτοι φανωσι.

Cum nullum intelligatur jusjurandum, quod non fiat cum exfecratione fui, Numine fupremo vindice interpofito, (Vid. NOODT. *Oper. T. II. p.* 278) et imprecationes adeo, fi rei, quae vel promittitur, vel affirmatur, adjectae funt, partem jurisjurandi minime exiguam conftituant, (Vid. PUFFEND. *J. N. et G. L. IV. C.* 3. §. 3.) mirari defínamus, jurisjurandi tum ritus, tum formulas faepenumero imprecationes continere. Apud Romanos itaque moris erat, Fecialem in foedere, fumto in manibus lapide, haec verba proferre, „ *Si recte ac fine dolo malo hoc foedus atque jus-* „ *jurandum facio, Dii mibi cuncta praeftent felicia;* „ *fin aliter aut ego aut cogito, caeteris omnibus falvis,* „ *folus ipfe peream, uti lapis hic e manibus decidat.*" Ita ex POLYBIO hunc morem refert COEL. RHODIG. *Lect. Antiq. L. XXI. C.* 15, Atque illud eft, quod *Jovem lapidem jurare* vocabant: conf. CARRIO ad GELLIUM *N. A. L. I. C.* 21. Annibal, agnum laeva manu, dextera filicem retinens, fi fciens fal-

falleret, Deos precabatur, ut ita se mactarent, quemadmodum ipse agnum mactasset. Vid. LIV. *L. XXI. C.* 45. Ita alio loco apud eundem LIVIUM *L. XXII. C.* 53. *Si sciens fallo, tum me Jupiter Opt. Max. domum, familiam, remque meam pessimo leto afficias!* (*). Si fallerent, in caput suum quaevis mala imprecabantur, quod nonnunquam alia de causa faciebant, de quo nonnulla monet BROUKH. ad TIBULL. *L. I. El.* 2. *vs.* 12. conf. BURM. ad OVID. *Heroid. Epist.* XX. *vs.* 127. Ita posterioribus temporibus, animas suas devovebant, Vid. MATTH. *Anal. Vet. Aevi T. I. p.* 649. vel se *excommunicationis* poenae subjiciebant. Vid. MONTESQUIEU *Esprit des Loix L. XXXI. C.* 17. Admodum grave est illud Didonis.

*Vel Pater Omnipotens adigat me fulmine ad Umbras*
*Pallentes Umbras Erebi, noctemque profundam,*



(*) *De hac formula consulatur* BRISSON. *de Formulis L. VIII. p.* 710. *Pulchre admodum* Cornelia *apud* PROPERTIUM *Eleg. Ult.*

Ipsa loquar pro me, si fallo, poena sororum
Infelix humeros urgeat urna meos.

*Ante, Pudor, quam te violo, aut tua jura resolvo.*

Vid. VIRG. *Aen. L. IV. vs.* 25.

Denique, nam plura referre non cadit in hujus disputationis brevitatem, dignus est ritus Ostiakensium, qui legatur apud D'ORVILLE *Oper. cit. T. VI. p.* 327. confer. TREUER ad PUFFEND. *de O. H. et C. L.* I. *C.* II. §. 3.

§. II.

Hoc loco formularum, per corporis partes, per res qualescunque, et vero etiam per personas, amoris quasi vinculo nobis devinctas, conceptarum vis investiganda est.

Ut igitur alios, aliter hoc argumentum explicantes, missos faciam, cum Interpretes hoc tractarint ad PUFFEND. *de Offic. H. et C. Lib.* I. *Cap.* II. §. 3. quod ad formulas, a membris corporis humani desumtas, attinet, NOODTIO assentior (ad *Tit. D. de jurejur.*) statuenti, illum, qui per caput aut oculos ju-

ſurat, in has corporis ſui partes, niſi verum dicat, ultionem divinam expoſcere. Ad hanc ſententiam cum jurisjurandi vis, tum civitatis utilitas nos impellit, cum homines ita ſint comparati, ut nulla alia re magis, quam praeſentis periculi metu a perjurio deterreantur.

Quod autem attinet ad formulas, per alias perſonas conceptas, ſi illas prorſus nullius eſſe momenti dixerim, cum ab una parte amoris affectus, ab altera vero turpis adulatio illis originem dederit, dixero id, quod eſt veriſſimum. Etenim quo pacto dici poteſt, quempiam Dei vindictam in alterius caput poſſe jure ſuo invocare, et Numen ſupremum in inſontem animadverſurum, ſi alter peccaverit, quod non tantum rationi, verum juſtitiae divinae contrarium et eſſet, et haberetur? Quare hanc ſummorum virorum fuiſſe ſententiam, qua aliorum hominum iſtiusmodi formulis ſalutem devoveri affirment, non poſſum non mirari, atque igitur aliorum praeceptis obtemperare malim, qui formulas, per caput et ſalutem alterius ita interpre-

tantur, ac si jurantes dicerent, tam vere, quam ille vivit, tam, quod dico, verum est, vel quam vere illius vita mihi cara est, tam verum illud est, quod a me affirmatur.

Haec ad formularum naturam pertinentia, antequam ad illarum brevem enumerationem accederemus, monenda videbantur.

Itaque (cum jam ad ipsas formulas transeundum sit) primum omnium per Deos jurabant, et quidem formulis utebantur, *Di mihi sint testes. Vos Dii testes facio. Testor Deos.* et similibus. Vid. OVID. *Heroid. Epist. XVII. vs.* 142. LIV. *L. I. C.* 59. SALLUST. *Jugurt. Cap.* 70. et *Catil. Cap.* 30. TACIT. *Histor. IV.* 41. et VIRGIL. *Aen. L. IV. vs.* 492. OVID. *A. A. L. III. vs.* 457. (*) Ad hanc rationem Graeci

(*) *Inde* OVIDIUS *Metam. VII.* 46.
cogamque in foedera testes
Esse Deos.

*Porro notandum est, ejusmodi obtestationes, etiam per alias res, frequentes esse.* Nisus *apud* VIRGIL. *Aen. IX. vs.* 429.
.... coelum hoc et sidera testor.

Adde

ci Θεους ξυνιςορους invocabant. Vid. SOPHOCL. *Philoct. vs.* 1293. conf. VALKEN. ad *Phoeniss. vs.* 1671. Ζευς ξυνιςωρ apud EURIPIDEM invocatur. Vid. *Suppl.* vs. 1174. (*) Itaque vel Deos in genere, quemadmodum Legatus Romanus bellum indicens, (Vid. LIV. *L.* 1. *C.* 32.) vel nonnullos peculiariter, jurantes testabantur et invocabant. Sic *Jovem*, ut perfidiae, a Boccho commissae, testis adesset, Sylla obtestatur apud SALLUST. in *Jugurt. Cap.* 107. Alcmena, cum Amphitruoni persuadere vellet, se rem cum viro alieno non habuisse, per Jovis regnum, et per Junonem jurat:

*Per supremi Regis regnum juro, et matrem familias*



*Adde* PROPERT. *II.* 7, 91. *III.* 19, 10. *III.* 13. 11. CLAUD. *in Rufin. L. II. vs.* 165. VIRG. *Aen. II. vs.* 431. PROP. *Eleg. Ult.*
*Testor Majorum cineres.*

(*) *Erant et aliae formulae apud Graecos v. c.* ἴστω Ζευς ο παντ᾽ ορων αει. *Vid.* SOPHOCL. *Antig. vs.* 184. *conf.* HOMER. *Iliad.* γ. *vs.* 258. μα Δια, *quae formula plerumque in negando adhibetur. Vid.* ZEUNE *ad* XENOPH. *Cyr. I.* 4, 28. *Ita apud Latinos* ita me Rex Deorum faxit. *Vid.* PLAUT. *Capt Act III. Sc.* 4. *vs.* 89. Ita me Dii ament PLAUT. *Bacchid. A. IV. S.* 8. *vs.* 51. TERENT. *Eunuch. A. IV. S.* 1. *et Phorm. A. II. S.* 1. *vs.* 13.

JUNONEM, *quam me vereri et metuere est par maxume,*
*Ut mi, extra unum te, mortalis nemo corpus corpore*
*Contigit, quo me impudicam faceret.*

Vid. PLAUT. *Amphit. A. II. S.* 2. *vs.* 201.

Pulcherrima quoque sunt illa OVIDIANA *Heroid. Epist. XII. vs.* 87.

*Conscia sit* JUNO, *sacris praefecta maritis,*
*Et Dea, marmorea cujus in aede sumus.*

Conf. *Heroid. Epist. II. vs.* 41. TIBULL. *L. III. E.* 6. *vs.* 48. et *IV.* 13, 15. Saepissime autem Socrates illam jurabat. Vid. ZEUNE ad XENOPH. *Cyrop. L. I. C.* 4. §. 12.

Anthia apud XENOPHONTEM Dianam testem invocat, quemadmodum deinceps quoque Eudoxns medicus per eandem jurat, in *Ephesiac. p.* 15 et 45. Add. OVID. *Heroid. Epist. XII. vs.* 88. conf. inprimis TRESLINGIUS noster *Adv. Critic. Spec. Cap. III. p.* 53.

Per Cererem et Proserpinam proprium foeminarum jusjurandum fuisse nonnullis placuit. Vid. SPANH. ad

CALLIM. *H. in Cerer.* init., formulam vero fuiſſe *Ecere* docent *Interpret.* ad PLAUT. *Amphit. A. II. S.* 1. *vs.* 4.

Athenis frequenter jusjurandum per Apollinem concipiebatur, teste SPANH. ad CALLIM. *H. Apoll. vs.* 68. conf. HOMER. *Iliad. α. vs.* 86. Saepe Tyrii Herculem jurabant, ut apud ACHILL. TAT. *Lib. V. p.* 309 et HELIOD. *L. II. p.* 114. (*) Ab hoc autem jurejurando abſtinebant mulieres, quia ejus Dei ſacris nunquam intererant. Vid. GELL. *N. A. XI.* 6. (conf. MACROBIUS *Saturn. L. I. Cap.* 12. a Cl. CONRADI laudatus.) Hanc rationem magis probem, quam illam THYSI, putantis, iccirco foeminas non per Hercu-

K 5 lem

(*) *Etenim Hercules praecipuum Numen Tyriorum erat, Vid.* CHARITON *p.* 116. *Atque inde ratio repetatur, quod Alexander Magnus ei ſacrificare volebat. Vid.* CURT. *L. IV. C.* 2. *Qui per illum jurabant, formulam adhibebant* Me Dius Fidius, *de qua vid.* CORT. *ad* SALLUST. Catil. Cap. 35. *Non autem ita dictus Hercules, quaſi filius Jovis, ſed Deus fidei. Caeterum notetur error* BEAUFORTII, *qui* Sancum *et* Dium Fidium *ab Hercule diſtinguit (Vid.* Rep. Rom. *T. I. p.* 171.) *quoniam Ao.* 1574 *ſtatua marmorea, Herculi dicata, humo eruta eſt, cui inſcriptum erat* Semoni. Sanco. Deo. Fidio. *Vid.* SCHARPIUS *in Diſſert. Theol. p.* 132.

lem jurasse, quia Deianirae levitate interfectus fuisse dicitur. Vid. APOLLOD. *Bibl. II.* 7, 7. Cur autem viri per Castorem non jurarint, non tam facile dictu est. Vid. GELL. *l. c.* Foeminarum vero tritum est illud *Ecastor*. Vid. PLAUT. *Amph. A. I. S.* III. vs. 10. Uterque Venerem jurabat, vid. OVID. *Amor. II.* 7, 27. et *Herold. Epist. II.* vs. 39. PLAUT. *Rudent. Act. V. Sc.* 2. vs. 47.

*Per Venerem hanc jurandum est tibi.*

Ita etiam Judaei nonnunquam per Baalam, Malcham, aliosque Gentilium Deos jusjurandum praestitisse dicuntur. Vidd. loci e sacro Codice a SPENCERO *L. L. Ebraic. Ritual. pag.* 31, excitati.

Cum a plurimis populis Sol divino honore coleretur, (etenim illi sacrificabatur apud HOMER. *Iliad.* γ vs. 103.) per illum quoque jusjurandum fuisse conceptum, facile est ad intelligendum. Aegyptii itaque per Solem (sive, ut aiunt, per Osirin) jurarunt, ut Aegyptus ille apud XENOPHONTEM EPHESIUM *pag.* 66.

66. vs. 23. της δε ετι φοβουμενης και υποπτευουσης τον ηλιον επομνυσι τους εν Αιγυπτῳ Θεους σεμνην τηρησειν. (*). Identidem Aethiopes. Vid. HELIOD. *L. IV. pag.* 175. conf. idem *L. VIII. pag.* 384. et *L. X. pag.* 472. Ita quoque Climene (apud OVIDIUM *Metam.* *L. I.* vs. 768) ad Phaetontem.

*Per jubar hoc, inquit, radiis insigne coruscis*

*Nate, tibi juro, quod nos auditque videtque,*

Quo-

(*) *Hunc* XENOPHONTIS *locum non recte mihi intellexisse videtur* ABRESCHIUS ο πανυ *Obss. Misc. Nov. Vol. II. pag.* 500: *cum* τον ηλιον *referat ad* υποπτευουσης, *deceptus, ut opinor, depravata lectione* τους θεους, *pro qua substituere non dubito* τον θεον. *coll. pag.* 57. *vs.* I. *Felicius autem veram lectionem* η μην *pro vulgata* σεμνην *auguratus esse videtur*, conf. MARKLAND. ad MAXIM. TYR. *pag.* 714. *Pari fere conjectura* ACHILLIS TATII *locum p.* 447. *edit. Salm. pro* επιμοσαι-ημιν. κ. τ. λ. η μην *restituit Cl.* RUARDI (*cujus ingenium doctrinamque admirantur eruditi, humanitatem vero et benevolentiam discipuli*) *in Specim. Critic. Cap. III. pag.* 45. *Ad eandem ergo rationem, virum incomparabilem secutus, apud* HELIODORUM *L. II. p.* 117. *edit. Parei pro* ημιν ελευθεραν *legendum puto* η μην. *Illa enim formula jurandi saepenumero occurrit.* Vidd. ERNEST. ad HOMER. *Iliad.* α *vs.* 77. ZEUNE ad XENOPHONT. *Cyrop. II*, 3, 12. ABRESCH *ad Paraphr. Epist. ad Hebr. p.* 424. et VERHEYK. ad ANTONIN. LIBERAL. *Metam. pag.* 6.

Quoniam solem jurabant, mare quoque religiose invocatum fuisse, nobis non mirum videatur, neque etiam, cum mari saepe sidera, terram et alia, quae divino honore prosequebantur, conjunxisse, quemadmodum Latinus ad Aeneam apud VIRGIL. *Aen. L. XII. vs.* 197.

*Haec eadem Aenea, terram, mare, sidera juro.*

add. OVID. *Metam. L. III. vs.* 638. et VIRGIL. *Aen. L. VI. vs.* 351. conf. *l. l. in* TRESLING. *Adv. Crit. Spec. p.* 53.

Sic Callirrhoe ad Dionysium apud CHARITONEM *pag.* 42. ομοσον μοι την θαλασσαν, την κομισασαν με προς σε, και την Αφροδιτην, την δειξασαν με σοι, και τον Ερωτα τον νυμφαγωγον. Hinc mari perfidiae poenas exigendi facultatem tribuit Dido apud OVIDIUM *Heroid. Epist. VII. vs.* 57.

*Nec violasse fidem tentantibus aequora prodest.*
*Perfidiae poenas exigit iste locus.*
*Praecipue quum laesus amor: quia Mater Amoris*
*Nuda Cytheriacis edita fertur aquis.* (*).

Per

(*) *Summo jure mihi in hoc loco poetae judicium desiderare vi-*

Per Styga juratum fuisse non equidem affirmare audeam, quoniam proprium illud Deorum erat. Unde Juno:

*Adjuro Stygii caput implacabile fontis,*

*Una superstitio superis quae reddita Divis*

Vid. VIRGIL. *Aen. L. XII. vs.* 816. (*). Cynicus tamen ille Menippus hoc sibi arrogavit, jurat enim προς της στυγας. Vid. LUCIAN. *Dial. Mortuor.* 8. — Caeterum hodie Moluquenses, cum bellum indicunt, coelum, mare, et terras testari, monet D'ORVILLE *Hist. des differ. Peup. du Monde. T. II. pag.* 342.

In primis Christiani illas personas in jurejurando in-

*videtur* NODELLUS *meus, peritus ille harum rerum arbiter, cum Venus, quae nihil tanto ardore, quam Aeneae sui in Italiam adventum cupiebat, violatae in amore fidei non facile a filio poenas exactura intelligi queat. Vid. Not. Crit. Cap. IV. pag.* 98.

(*) Conff. OVID. *Metam. L. II. vs.* 44. *L. I. vs.* 188. et 737. *L. III. vs.* 290. et *Fastor. L. III. vs.* 322. VIRGIL. *Aen. L. VI. vs.* 324. et *L. X. vs.* 113. *Addatur* HUIDEKOPER *Proeve van Taal en Dichtkunde. T. I. pag.* 70.

invocabant, quae ſanctitatis commendationem habebant. Primum itaque per Deum Omnipotentem jurabant, et per Patrem quidem, Filium et Spiritum Sanctum, cujusmodi formulam exhibet MATTH. *Anal. Vet. Aevi. T. I. pag.* 749. *et T. II. pag.* 649. Conjunguntur nonnunquam Deus et ſancti. Tempore inaugurationis ſuae Philippus II. ſe leges ſervaturum hac jurisjurandi formula promittebat: *Zoo moet mij God helpen en alle zijne Heiligen.* Vid. WAGEN. *V. H. T. V. pag.* 387. Ita quoque antiquis temporibus Comites Hollandiae jurabant, et quidem, antequam cives, ſe illorum imperio obtemperaturos, jurati ſponderent. Vid. WAGEN. *V. H. T. III. pag.* 348.

Nonnunquam Deum et ſacram ſcripturam jurabant. Vid. *Beſtaltbrief Art.* 51. Immo vero Deum, ſanctos et Euangeliorum fidem ſimul teſtabantur, et hoc modo quidem: *Sic me Deus adjuvet, et omnes ſancti, fidesque ſanctorum Euangeliorum.* Vid. MATTH. *Anal. Vet. Aevi. T. I. pag.* 663. *et T. II pag.* 799. Simpli-

pliciter etiam per Sanctos jurantium exemplum exhibet MILLOT *Hiſt. Angl. T. I. pag.* 328. Hispani nonnunquam *por ſanta cruz.* Vid. CERISIER *Tableau de l'Hiſt. des Prov. Un. T. VI. pag.* 225.

Cum antiquitus Heroibus ſacrificatum fuerit, (*) per illos etiam religioſe affirmatum fuiſſe, nemo facile negabit. Egregie ad hunc morem alludit LUCANUS de Catone dicens.

*Ecce parens verus patriae, digniſſimus aris*
*Roma tuis; per quem nunquam jurare pudebit.*
*Et quem, ſi ſteteris unquam cervice ſoluta,*
*Nunc olim factura Deum.*

Vid. *Pharſal. L. IX. vs.* 601.

Romani, ut olim libera Rep. animi magnitudine et libertatis amore maxime excellebant, ita deinceps perdita libertate, priſcae gloriae immemores, tyrannidi ob-

(*) *Hoc enim factum fuiſſe ex* PLUTARCHO *in Theſeo pag.* 17. *et in Cimone pag.* 483. *quae loca mihi auctor operis voyage d'Anacharſis en Grece ſuppeditavit et plura dabit T. V. pag.* 229. conf. SPENCER *Legg. Ebraic. Ritual. p.* 898.

obtemperantes, tanta servilis ingenii documenta, quanta majores dignitatis et fortitudinis, protulerunt. (*) Non tantum Imperatoribus, qui mortem cum vita commutarant, templa extruebant, quemadmodum Augusto factum esse novimus, qualemque honorem Tiberio Hispania ulterior concedi volebat, Vid. TACIT. *Annal. L. IV. C.* 37. Non tantum igitur illos isto honore prosequebantur, verum etiam per illorum genium et salutem jurabant, cum Claudii instituto obtemperarent, qui *jusjurandum neque sanctius, neque*

(*) Ut Romanorum effrenis fuerat libertas, dum Resp. stetit, ita et adulatio sine modo fuit, postquam uni parere coacti sunt. Qua in re poetae praesertim pudendum caeteris exemplum praebuerunt. *Ita recte* GORALLUS ad PED. ALBINOV. *vs.* 59. —— *Augustum praecipue poetae adulatione sua prosecuti sunt. Indigna sunt illa* PROPERTII *L. III. El.* 9. *vs.* 68.

Vix timeat, salvo Caesare, Roma Jovem.

*Conferantur* HORAT. *Carm. L. IV. Ode* 14 *in fine et L. I. Ode* 12. OVID. *Metam L. I. vs.* 200. seq. *Fast. L. II. vs.* 127. sq. *Trist. L. V. El.* 8. *vs.* 29. et *inprimis illa.*

Di, precor, atque adeo, (neque enim mihi turba roganda est)
Caesar, ades voto, maxime Dive, meo.

*in Trist. L. III. El.* 1. *vs.* 77.

*-que crebrius instituit, quam per Augustum.* Vid. SUET. *in Claud. Cap.* II.

Ut foeminae suam Junonem, ita viri genium habere credebantur, qui illos, ad ea, quae agenda essent, impellerent, ab illis autem, quae omittenda essent, avocaret. Ita saltem Genium suum Socrates, humanae sapientiae oraculum, intelligebat. Vid. CICERO *de Divinat. L. I. C.* 54. (*) Quamquam et alii fuerunt, qui unicuique duos genios, alterum bonum, alterum malum tribuerent. (**) Vid. omnino Cl. OTTO *in Dissertat. de Perjurio per Genium Principis. Cap. II.* §. 1. (*Dissertationum P. I. pag.* 263.)



(*) *Nemo, nisi qui ipsam antiquitatem ignorat, est quin sciat, quantae de Genio Socratico inter eruditos controversiae fuerint. Vid.* ROLLIN. *Hist. Anc. T. IV. pag.* 359. *Recte vero* BRUCKERUS (*Hist. Philos. Period. I. Part Post. L. II. Cap.* 2. §. 5.) *de hac re*, melius est, *inquit*, ignorantiam fateri, quam temere aliquid statuere.

(**) *Inde* HORATIUS *Epist. L. II*, 2, *vs.* 187.
Scit Genius, natale comes qui temperat astrum,
Naturae Deus humanae, mortalis in unum
Quodque caput, vultu mutabilis, albus et ater.

Magnus profecto Geniis honor habebatur, unde TIBULLUS Osirin precatur

*Huc ades, et centum ludis Geniumque choreis*

*Concelebra, et multo tempora funde mero.*

Vid. *L. I. El. 7. vs.* 49. conf. *L. IV. El. 5. vs.* 7. Cum Genius divinitatis particeps haberetur, et Principis Daemoni arae et templa ponerentur (Vid. Cl. OTTO *in Dissert. laud. Cap. II.* §. 2.) per illum juratum fuisse, non est, quod miremur, neque cum CARPZOVIO facere audeam, qui illud jusjurandum *impium* et *profanum* vocat. Vid. *Pract. Crimin. P. I. Q.* 46. *no.* 40. *pag.* 299. Etenim ad rationes istorum temporum cum accommodata ratiocinatio instituenda sit, per Genium jusjurandum posse concipi, aeque ac per alias personas, quae divinitatis participes habeantur, affirmare nullus dubito. Sed per Principis genium, diversum a caeteris, illisque majorem juratum fuisse, si indignam adulationem existimem, vere mihi videar existimare. Sua laus igitur tribuatur

Po-

Polycarpo, qui hac formula se adigi noluit, vid. GROTIUS ad MATTH. *Cap. V. vs.* 34. CAROLUS autem MAGNUS summa laude cumulari meretur, quod morem istum prohibuerit. Conf. OTTO ad PUFFEND. *de O. H. et C. Lib. I. Cap.* II. §. 3. et inprimis in laudata *Dissert. Cap.* II. §. 7. (*).

Quemadmodum neminem fore arbitror, quin formulae per genium Principis jurandi adulationem dedisse originem mecum consentiat, ita quoque, meo judicio, vere dicam, si amoris affectum homines excitasse, ad jusjurandum per personas sibi carissimas concipiendum, affirmem. Per Hephaestionem religiosissimum fore jusjurandum, Alexander voluit teste FREINSH. ad CURT. X. Cap. 4. Ita per Drusillae numen Caligula, vid. SUET. *in vita Cap.* 24.

Ad hanc itaque rationem nobilissimus ille locus MARTIALIS, cujus explicatio tantos dissensus inter



(*) *Exteris gentibus haec quoque recepta formula. Vid.* CURT. *VI*, II. 18.

eruditos excitavit, nobis explicandus esse videtur. Locus ita se habet.

*Ecce negas jurasque mihi per templa Tonantis.*

*Non credo: jura Verpe per Anchialum.*

Vid. *Lib. XI. Epig.* 95.

MARTIALIS contra Judaeum quendam, quasi turpem consuetudinem cum puero suo habuisset, suspicionem fovebat; Judaeus, ut criminis suspicionem a se averteret, illud a se perpetratum esse negat, negationem autem jurejurando, *per templa tonantis*, (*) confirmat. Non credit MARTIALIS, jurari autem *per Anchialum* cupit. Quis igitur ille *Anchialus?* Optime GESNERUS (*in Nov. Linguae Rom. Thesauro T. I. pag.* 330. *in voce Anchialus*) SPENCERUM secutus est, qui post RIGALTIUM, *Anchialum* (**) ita interpretatur, ut sit ipse amasi-

(*) *Judaei saepenumero per templum, i. e. per illum, cui templum consecratum est, jurabant. Vid.* GROTIUS ad MATTH. *Cap.* XXIII. *vs.* 21. et 22.

(**) *Multi huic nomini* (Anchialo) *notionem Hebraicam tribuere voluerunt. Omnium fere, qui de hoc loco scripserunt, sententias exhibuit* SPENCER *de Legg. He-*

fius, quo cum Judaeum nefandam Venerem exercuiffe, poeta fibi perfuadebat. Et haec fententia multum habet, quo fe tueatur, cum Veteres in jurejurando, ut majorem affertionibus fidem adderent, illud obtestarentur, quod ftatim perjurii poenas irrogaret, nocendique vim et haberet, et exercere poffet. Ergo recte MARTIALIS fignificare videtur, pejeraturum facile Judaeum, quidquid juret aliud: pro amore autem in *Anchialum*, per illum non juraturum falfo. Praeterea nomen *Anchiali* non incognitum fuit Romanis, cum *Anchiale*, Urbs Thraciae, a Sardanapalo condita, exfifteret. Vid. SIMSONII *Chronic. pag.* 945. (Edit. WESSEL.) Memorat adhuc *Anchialum* praedonem XENOPHON EPHES. *pag.* 60. Conff. quae dedit



*Hebr. Ritual. pag.* 631. Conff. A. L. ZACHARIAS *in Bibliotb. Brem. Nov. Clas. V. pag.* 367. et NIC. BARKEY *pag.* 389 fq. *illosque fecutus* WALCHIUS *Differt. de jurej. pag.* 33. *Nos autem ab his diverfam* SPENCERI *explicationem, miffis* ISAACI VOSSII (*cui affentitur* BYNKERSHOEKIUS *in* OBSS. *Jur. Rom. Lib. VI. Cap.* 2) *et Doct.* VAN ROYEN (*vid. Conject. Critic. pag.* 72.) *conjecturis, fequamur.*

GESNERUS *l. l.* Denique pueros meritorios (quos quanti Veteres facerent, vel una Elegia TIBULLIANA *L. I.* 9. evincat) saepe jurabant, atque adeo nostram de *Anchialo* sententiam moribus receptis non repugnare, nemo non videt. Ita, ut unum XENOPHONTEM proferam, Abrocomas Hippothoum per Hyperanthem, ejus amasium, adjurat. *in Ephesiac. p.* 43.

Enimvero, sicut adulatio causa fuit, quod per Genium Caesaris juraretur, et amoris affectus homini persuasit, ut, per personas, quibus cum amicitiae vel amoris societatem habebat, jurejurando se adigeret, ita quoque superbia et animi elatio Reges et Nobiles incitavit, ut sola formula *per fidem Principis* vel *Nobilium* se obligarent. Ita in detestabili illa proscriptione, quam contra *Patriae Patrem* Philippus secundus edidit, omnia promissa *per fidem Regis* affirmabantur. Vidd. WAGEN. *V. H. T. VII. pag.* 346. et CERISIER *T. III. pag.* 444. Et Nobiles Batavi in nobilissima illa declaratione (vulgo *Acte van non*

*pre-*

*prejuditie*). sibi legum suarum previlegiorumque observantiam hac formula promiserunt, *bij adelijke trouwe, eer, en vroomigheid.* Vid. WAGEN. *V. H. T. X, pag.* 338. Hanc formulam multa ante secula in usu fuisse, colligi merito potest. Vid. MATTH. *Anal. Vet. Aevi T. V. pag.* 601. (*) Apud Anglos juravit Henricus III. *Foi d'homme, Foi de Chretien, Foi de Chevallier. Foi de Roi.* Vid. MILLOT *Hist. Angl. T. I. pag.* 193. *Foi de Gentilhomme* admodum tritum erat Francisco I. Galliae Regi. Vid. BURY *Vie de Henri IV. T. II. pag.* 123. sq. (**).

 Ve-

(*) *Dicunt enim Nobiles, qui Jacobae Bavariensi fidem et obedientiam pollicebantur*, Alle deeze voersz. puncten, geloften, ende voorwaerden, hebben wy ten heyligen met opgerechten vingeren onbedwongen beswooren met lyflicken ende gestaefden eede by onser trouwen ende eeren vast ende volcomelycken te houden.

(**) *Auctor laudatus, lepidum Galli cujusdam versiculum, nonnullorum Regum affirmandi formulas continentem, memorat.*

Quand *La Paque Dieu* deceda LOUIS XI.
*Par le jour Dieu* lui succeda CHARLES VIII.
*Le Diable m'emporte* s'en tint pres. LOUIS XII.
*Foi de Gentilhomme* vint apres, FRANCOIS I.

Verum enim vero cum nullum sit jusjurandum, quod non divinae vindictae invocationem contineat, hae formulae nullius sint momenti, et nunquam pro vera affirmatione habeantur. Conf. OTTO ad PUFFEND. *de O. H. et C. Lib. I. Cap.* II. §. 3. Ejusdem quoque pretii sint formulae a rebus desumtae, v. c. per cramben, et per capparin, quod proprium erat Zenonis, vid. COEL. RHODIG. *Lect. Antiq. L. XXVII*, C. 28. per sceptrum, ut Achilles apud HOMERUM *Iliad. α vs.* 234. (*) per arma, quod Normannorum erat, vid. MILLOT *Hist. Gall. T. I.*

*pag.*

(*) *Ita quoque Latinus apud* VIRGILIUM *Aen. L. XII. vs.* 206. *quem* VIRGILII *locum ex Homero adumbratum esse egregie docet summus* HEYNIUS. *Pulcbra quoque est imago* Turenii, *cum dicat*

Votre attente, o Grand Roi, ne sera point trompée
Lui repondit Turenne, embrassant ses genoux:
J'en atteste ce fer, et j'en jure par vous.

Vid. VOLTAIRE *Henriade Chant. X. Nec minus illa nobilissimae* virginis, *κατεξοχην ita dictae*,

J'ose a tes yeux jurer par mon courage,
Par cette epée, et par mon pucelage
Que tu seras huilé bientot a Rheims.

*Vid. La Pucelle Chant. II.*

*pag.* 122. Vel per omnia illa, quae enumerat JUVENALIS *Satyr. XIII. vs.* 78. ſq.; Haec, inquam, nullius valoris, ſed potius poetices ornamenta et orationis, animorum motus exprimentis, elegantiae habeantur. (*) Sic Brutus per caſtiſſimum Lucretiae ſanguinem ſe *Tarquinium ſuperbum* exſequiturum jurat. Vidd. LIV. *L. I. Cap.* 59. et OVID. *Faſt. L. II. vs.* 839.

*Stillantemque tenens generoſo ſanguine cultrum,*
*Edidit impavidos, ore minante, ſonos:*
*Per tibi ego hunc juro fortem caſtumque cruorem,*
*Perque tuos Manes, qui mihi numen erunt:*
*Tarquinium poenas profuga cum ſtirpe daturum.*
*Jam ſatis eſt virtus diſſimulata diu.*

Qui de Ritibus et formulis plura cupit, adeat ANNAEUM ROBERTUM *Rer. Judicat. L. I. Cap.* II. Nos jam hic ſubſiſtamus.



(*) *Quantam iis fidem attribuerint poetae, patet e ſolo Tibulli loco L. II. El. VI. vs.* 13. *Ejusdem est, et Ovidii doctrina:*
—— Perjuria ridet amantum
Jupiter. —— —— ——

# CAPUT IV.

## DE PERJURIO ET VIOLATI JURIS-JURANDI POENA.

### §. I.

Cum in omni re id agendum sit, ut ejus notionem animo comprehensam habeamus et insignitam, dum ultimo loco perjurii crimen, pro ingenii tenuitate, tractandum videtur, ab exponenda ejus notione initium faciam.

Primum omnium quidem Cleanthes, ejusque discipulus Chrysippus, duo praestantissimi Philosophi, uterque Stoici, (*) occurrunt, de perjurii notione diver-

(*) Conf. BRUCKER *Hist. Phil. Per. I. Part. Post. L. II. C. 9. Sect. 2.*

versa statuentes: cum Cleanthes ευορκειν inter et επιορκειν distingueret, Chrysippus autem, non modo αληθορκειν inter, et ψευδορκειν, differentiam statueret, sed Cleanthis quoque distinctionem aliter interpretaretur. Vid. STOBAEI *Serm.* 28. *pag.* 196. cf. GROT. ad MATT. *Cap. V. vs.* 33. Cleanthes, in jurejurando fidei servandae animum habere, vel contrarium sibi jurantem proponere, statuebat, hoc ευορκειν, illud vero επιορκειν vocabat. E contrario, ut Chrysippi opinio fert, in ipso jurisjurandi negotio primum aliquis αληθορκει, vel ψευδορκει, i. e. vel rem, re vera ita se habentem, jurejurando affirmat, vel aliquid jurat, quod, licet falsum sit, verum tamen esse arbitratur. Praeterea, quemadmodum quis, non tunc temporis, cum paciscitur, sed cum pacti conditionibus obtemperandum est, conventis stare, vel ab illis recedere dicitur, ita quoque quemcunque, qui se alteri affirmatione religiosa obligat, non hoc temporis articulo, quo jurat, sed, cum promissionem juratam exsequi de-

debet, vel hominem probum, vel perjurum dici haberique, atque adeo ευορκειν vel επιορκειν arbitratur. Haec Chryſippi ſententia, quae Cleanthis opinionem ſubvertit, digna, quam amplecteretur, CICERONI, cujus auctoritatem ſequimur, viſa eſt, cum *falſum jurare*, inquit, *non eſt perjurare, ſed quod ex animi tui ſententia juraris, ſicut verbis concipitur more noſtro, id non facere, perjurium eſt*. Vid. *de Offic. L. III. C.* 29.

Diſtinguunt porro nonnulli inter PEJERATIONEM et PERJURIUM, cum PEJERATIONEM dicant, *juramentum ejus, qui, ſe verum dicere jurat, dum falſum dicit*. PERJURIUM vero, *violatio juramenti, quando ſcilicet non facis, quod te facturum ex animi licet tui ſententia juraſti*. Vid. WOLFII *Inſtit. Jur. Nat. et Gent.* §. 371.

Re vera, miſſis diſtinctionibus, perjurium *ſpecies laeſae Majeſtatis divinae eſt, et mendacium, jurejurando firmatum:* Vid. CARPZOV. *Pract. Crim. Part. I. Quaeſt.* 46. *p.* 195.

Qui-

Quicunque ea, quae ſuperiore disputatione dicta ſunt, et illam maxime partem, quae jurisjurandi vim moralem attingit, attenta mente conſideret, is, cum in ſervanda fide tanta ſit laus, tanta religio, in ea negligenda, et vero etiam vituperanda, magnam ſitam eſſe turpitudinem et impietatem, ſibi in animum inducet. Etenim cum pejurando hominum exſpectationem, inprimis illorum, quibus juratum eſt, turpiter fallamus, amoris, iis debito, vim inferimus, et nonnunquam ſocietatis ordinem conturbamus, cum nulla ſit ſocietas, quae ſine fide conſiſtat. Quod vero in hoc crimine ſummum eſt, Numen ſupremum contemnit perjurus, vel, ſi non contemnit, ei tamen reverentiam debitam denegat.

Et nihilominus non anquirendum eſt, quae cauſa turpium eorum criminum ſit, dum nullum officium tam ſanctum eſt atque ſollemne, quod non deteſtabilis illa ambitio, ejusdemque ſocia, ſcelerata avaritia, comminuere ac violare ſoleat. conf. CICERO *pro Quin-*

*tio.*

*tio Cap. 6.* Unusquisque enim, qui mentis humanae cognitionem complectatur, cumque ea historiam conjungat, facillime cognitum habebit et perspectum, ambitionem et avaritiam, fidei illas felicitatisque et quietis (*) inimicas, in hominum animis domicilium quasi collocasse, imo regnum tenuisse. (**) At, cum natura ita facti simus, ut ea cupiamus, quae rationes nostras augere, et vero etiam adjumenta quaedam magnitudinis nostrae esse videantur: mirari desinamus, haec vitia nos tam facile allicere ad se posse, et quasi retibus irretitos habere. Ut enim res multae, quae suaviter quidem, externa pulchritudinis specie, sensus nostros afficiunt, non modo nihil ad felicitatem nostram prosunt, sed eam potius impediunt, ita ambitio et avaritia nitido quasi amictu, iis hominibus,

qui

(*) *Ex rei veritate mihi dixisse videtur. Illustr.* LARREY *Hist. des Sept. Sages. T. I. pag.* 229. L'Ambition et L'Avarice fatiguent egalement ceux, qui sont remués par ces Passions, et ceux, contre qui elles les mettent en mouvement.

(**) *Vid. supra Cap. I. pag.* 8. sq.

qui nihil antiquius habent, quam honorum divitiarumque copiam sibi congerere, se commendantes, iis perniciosissimae sunt, cum *illos falsos fieri* non tantum *subigant*, (ut ait SALLUST. *Bell. Catil. Cap.* 10.) verum etiam ad perjurium impellant, et a fide avocent. Si jam ex hominum natura ductis rationibus, historiam quoque in auxilium cogamus, vitia illa, non ansam quasi dedisse, sed causam et fundamentum perjurii fuisse, nulli dubitabimus.

Nemo est, qui sordidam Carthageniensium avaritiam ignorat, nemo, quin illos omnium mortalium perfidissimos sciat, et cum perjurii crimine tam familiares, ut *Punica fides* in proverbium abierit. Vid. CORTE ad SALLUST. *in Jugurt. Cap.* 108. conf. ERASM. *Adag. pag.* 347. (*) Porro, cum Romanis tanta esset

(*) *Perfidissimi sane erant Poeni: plus semel enim a pactis decessere. Vid.* SIGON. ad LIVIUM *L. XXI. Cap.* 2. *Merito inde* foedifragi *dicuntur* CICER. *de Offic. L. I. C.* 12. gensque astu fallere laeta SIL. ITALIC. *L. VI. vs.* 482. *Quid ergo dicendum de Annibale, qui perfidia plus quam Punica erat teste* LI-

set dominandi libido, qua sibi auctoritatem quasi fatalem crederent, tot perjurii documenta dederunt, quae nemo, nisi qui plane in historia hospes est, ignorat. Gentes commemoro, (*) quid tandem de personis privatis? Quot non inveniuntur, qui, ut quid consequan-

LIVIO *L. XXI. Cap.* 4? *Aliter vero Atbenienses comparati erant, quorum in Romanos tanta fides fuit, ut, quidquid sincera fide gereretur id Romani,* Attica *fieri, praedicarent. Vid.* VELLEJ. PATERC. *L. II. C.* 23. *no.* 5. *Male Interpretes, ut ad b. l. observat* BURMANNUS Graecam fidem *et* Atticam *confundunt, cum* Graeca *in malam partem diceretur, ob fallaciam et levitatem buic genti tanquam propriam. Vid.* RADERUS ad CURT. *L. VII*, C. 8, 29. ERASM. *Adag pag.* 577. Testimoniorum (*inquit* CICERO *pro Flacco Cap.* 4.) religionem et fidem nunquam ista natio (*quam in Oratione pro Ligario Cap.* 4. *idem* levem *vocat.*) coluit. *Esset profecto exoptandum, illud, quod olim apud quendam Americae populum obtinuisse testatur* D'ORVILLIUS (*Hist. de differ. Peupl. du Monde. T. V. pag.* 218.) *ad nostram quoque gentem posse referri. Sed vid.* RAYNAL. *Hist. Phil. Pol. T. I. pag.* 345.

(*) *Carthagenienses tantum et Romanos memoravi; sed quid de Thessalis et Laconibus statuendum sit videri potest*, dans le voyage d'Anacharsis en Grece. *T. IV. p.* 105. *conf.* EURIP. *Androm. vs.* 446. *sq. De Cretensibus nobile est Epimenidis dictum*, Κρητες αει ψευςαι, *laudatum illud a* PAULO *in Epist. ad Tit. C. I. vs.* 12. *Caeterum quam familiare perjurii crimen Regibus fuerit, praeter illa, quae supra Cap. II. pag.* 69. *exposuimus, multis ostendit* ANNAEUS ROBERT. *Rer. Judicat. L. I. C.* II. *p.* 200.

quantur, vel qualecunque periculum vitent, (*) facile ſe perjurii foeditate commaculari patiantur?

Cum itaque originem et cauſas perjurii conſideraverimus, illasque a vitiis, quae multis hominibus quaſi fatalia ſunt, repetendas eſſe arbitrati ſimus, age, tam taetri criminis conſecutionem neceſſariam proponamus.

Primum ergo hoc certum habeamus, planeque nobis perſuadeamus, cum promiſſa invocatione Dei confirmata violamus, nos religionem contemnere, ſine qua nulla gens ſplendorem ſuum conſervare, libertatem tueri, tranquillitatem et felicitatem intactas poſteris remittere poteſt. Et quis, quaeſo, magis a Numine ſupremo alienum ſe profitetur, quam, qui, ſimulata erga illud reverentia, alterum decipit? Deum ergo

 re-

(*) *Pulchra ſunt illa, quae de ejusmodi metu leguntur apud* CHARRON. *de la ſageſſe L. III. C.* 8. *n.* 7. C'eſt donner temoignage de mepriſer Dieu, et de craindre les hommes. Or qu' y a t-il de plus monſtrueux, que d'etre couard a l'endroit des hommes, et brave a l'endroit de Dieu?

religionemque cum ſe nihili aeſtimare perjurus oſtendat, officia, quae homo homini debet, parvi pendat quoque, aliorum felicitatem, de ſua tantummodo ſollicitus, nihil curet, bonos mores negligat, et cum leges, ut recte HORATIUS (*) pronunciat, ſine moribus vanae ſint, et nihil proficiant, illas contemnat neceſſe eſt. Praeterea, quoniam *firmamentum ſtabilitatis, conſtantiaeque ejus, quam in amicitia quaerimus, fides eſt*, (verba ſunt CICERONIS *de Amicit. C.* 18.) nunquam amicitiae ſocius ſit fidei contemptor, cum, ſuas omnes cogitationes abjiciens in utilitatem ſuam, ſanctiſſimum amicitiae vinculum facile diſſolvat. Et, quamquam natura gigni ſenſum diligendi, et benevolentiae caritatem intelligat, tamen amorem, vel dicam potius conjugium (ita comparatum natura, ut jucundiſſima, illaque aeterna ſocietas iniretur,) commodorum rationibus in conſilium adhibitis, deſpecta fide repudiabit, contemnet perjurus. Haec ne quis magni-

(*) *Vid. Carm. L. III. Ode* 34. *vs.* 35.

nificentius, quam pro rei veritate, dicta putet, cum, quicunque mecum vel unam civitatem Romanam consideret, is, ubi perjurium saepenumero committitur, ibi quoque, quicquid ad officia, Deo debita, et ad boni viri notam pertineat, despectum jacere et obsoletum, mihi statuenti assentiatur. Quot quantique apud Romanos inventi sunt, qui in testimoniis, in judicio dicendis, minime religiosi versabantur? Quot testamentorum subjectores, et circumscriptores? (*) Conf. SALLUST. *Bell. Catil. Cap.* 16. Quot, qui creditum abjurabant, jurejurando affirmantes, creditoribus, sua repetentibus, se nihil debere? Vid. CORTE ad SALLUST. *Bell. Catil. Cap.* 25. (**) Quot amicitia juncti, qui sanctissimam societatem turpiter

 vio-

(*) *His merito* LEX CORNELIA de falsis *poenam irrogat. Vid.* §. 7. *Instit. de Publ. Judic.*

(**) *Ad hunc morem alludit* PLAUTUS *in Prolog. Rudent. vs.* 13.

Qui falsas lites falsis testimoniis
Petunt: quique in jure abjurant pecuniam,
Eorum referimus nomina exscripta ad Jovem.

violabant? Quot amantum perjuria? (*) Sed omnia persequi longum est.

Cum itaque ea hominum perversitas sit, ut a fide saepenumero declinent, et vero etiam in gravissimum perjurii crimen incidant, est profecto, quod laetemur, poenas cum divinas, tum humanas in perjuros esse constitutas.

§. II.

Jam vero ab ipso perjurio ad hujus criminis poenas sua sponte delabitur disputatio. Ipse Deus Opt. Max. id ubique egit, ut homines rationis tanquam freno a crimine cohiberet, cum vero ejusmodi imperium detrectarent, neque Dei monitis parerent, ostenderent-

que,

(*) *De his queritur Ariadne apud* CATULLUM *Epital. vs.* 143. sq. *Non ejusmodi sunt, quae in re amatoria poetis laudantur, et de quibus Cap. III. p.* 169. *verbo diximus, ubi addi meretur carmen Sophocleum apud* STOBAEUM *Floril. Serm. XXVIII. p.* 196, *et* Platonis *de illis dictum ibidem Serm. LXI. p.* 393, *quod imitati sunt* TIBULLUS *L.* I. *El.* 4. *vs.* 21. et HORAT. *Carm. L. II. Ode* 8. *vs.* 13. conf. NODELLUS *meus in Not. Crit. C. IV. p.* 103. *Lepidum est de* jurejurando amatorio ROUSSAVII *dictum* Jure moi, non par l'amour, ferment qu'on ne tient, que quand il est superflu, mais par ce nom facré de l'honneur. *Vid. La Nouvelle Heloïse. T. I. p.* 132.

que, altius in animos descendere exempla vindicati criminis, quam praecepta, quibus a Deo ad virtutum studia ducebantur, Numen supremum, ut alia vitia, sic perjurii illud suppliciorum metu depellere instituit. Primum itaque Deus, ne perjuria committerentur, edixit, (Vid. *Levitic. XIX. vs.* 12.) atque identidem edictum, facta futurae poenae mentione, firmavit: v. c. *Exod. XX. vs.* 7. et *Deuter. V. vs.* 11. Itaque Judaei jurisjurandi vim intactam servabant, et nihil magis metuebant, quam a Dei monitis deflectere, (vid. *Josua IX. vs.* 20) cum, si ipsi jam poenas effugerent, eae tamen liberis et nepotibus infligerentur. Vid. GROTIUS *de J. B. et P. L. II. C.* 21. §. 14.

Magna sine dubio est et perdifficilis quaestio, an, filium paterni criminis heredem fieri, aequitati consentaneum sit. Et profecto dijudicatio hujus rei, de qua jam antiquis temporibus varia fuit Philosophorum sententia, nobis latum, in quem excurreremus, campum praeberet, si in hoc spatium ingredi vellemus.

Sed, cum illud nos nimis a propofita via abducat, de hac re pauca proferre fatis habeamus.

Dicent fortaffe nonnulli; ifta fane injufta funt, pofteros ob delicta Parentum puniri, cum ipfi fint infontes, et a tanto crimine abhorreant; atque iccirco EURIPIDIS, Deis, majorum delicta pofteris imputantibus, iniquitatis labem adfpergentis (*) querelam, fuam facient. Porro, fi perjurus fceleris poenas effugerit, igiturne illae a pofteris expetentur? fi pater deliquerit, filiusne condemnabitur? Haec fatis fpeciofa funt, atque ita quoque ratiocinari videtur *Timon* ille apud PLUTARCHUM *l. l.* Ad talem vero ratiocinationem, fecundum GROTIUM, brevis eft refponfio. Cum Deus dominio pleno in homines gaudeat, utcunque velit, de vita et rebus noftris conftituere poteft, atque adeo fuo jure in pofteros majorum delicta vindicat; quantus vero criminis reum dolor afficiat,

fi

(*) Vid. PLUTARCH. *de Sera Num. Vind. pag.* 48. et WYTTENBACH. *V. Cl. in Animadv. ad hunc librum pag.* 63.

si filios et nepotes, sua culpa miseros, sibi persuadeat, omnes facile iutelligent, qui ipsam humanam naturam non ignorant. Cum ergo Deus id maxime egerit, ut ipsos criminis reos hoc modo castigaret, lex divina ultra abnepotes, quos superstites, atavus perjurus adspicere poterat, non progreditur, quemadmodum observat GROTIUS *de J. B. et P. L. II. C. XXI.* §. 14. —— Sed quid homunciones, in Dei consilia, nobis ignota, curiose inquiremus? (*)

Cum et Graeci et Romani suos quoque Deos tales esse putarent, qui non tantum de genere hominum bene mererentur, verum etiam, qualis qüisque esset, quid a-



(*) *Haec hac de re vir Doctus et amicus mecum communicavit.* „ vulgari legis divinae interpretationi, qua „ Deum O. M. parentum crimina in liberos vindicare probent, obstat locus *Ezechiel XVIII*, 20. Quid? „ quod Deus *Exod. XX*, 5. indicat, se esse eundem „ illum, qui Israelitas, eorumque, ratione idololatriae „ vestigia parentum secutos, liberos et nepotes circiter IV. secula servitute Aegyptiaca puniverat, tandemque, qui quarto in linea recta gradu ab istis distabant, in libertatem redegerat, seque adeo id, quod Abramo *Genes. XV*: 13 et 16. praedixerat, jam implevisse. Sed haec ἐν παρέργῳ." —— *Illud παρεργον tamen latiorem inquisitionem meretur, neque ab eo me valde alienum esse sentio.*

geret, intuerentur, (*) et tum piorum, tum impiorum rationem haberent, quam late pateat apud illos divina de perjurio vindicta, facile est intellectu. Et profecto, quoniam Dii, quicquid contra religionem admitteretur, graviter ulciscebantur, (vid. CICER. *de Legg. L. II. C.* 17) perjurii poena per se maxima esse credebatur. Pulcherrima sunt, et digna, quae hoc loco memorentur ista poetae:

*Οξυς θεων οφθαλμος εις τα παντ' ιδειν,*
*Εσος θ' εκας εσιν ουχ ορωμενον*
*Τοις ζωσιν ημιν, ουδε προσδοκωμενον*
*Δαιμονιον, ω μελει τα του θνητου βιου,*
*Δικην δεδωκεν ω τε της επιορκιας.* (**)

Sunt, praeter haec, multa, quae hic excitari possint, poetarum inprimis, loca; sed ea jam dudum, prae aliis, VALCKENARII diligentia collegit, vid.

(*) *Conf. Interpretes ad* PLINII *Panegyr. Cap.* 80.

(**) *Haec, quemadmodum a Cl.* LUSACIO *correcta et emendata sunt, exhibere non dubitavimus. Conf. Exercit. Acad. Cap. VIII. p.* 151.

vid. *Diatrib. Eurip. pag.* 186. Pauca tamen, nescio num ab aliis occupata, cum lectore communicabo. Plerique seram Numinis vindictam memorant, qua Deos, licet lento gradu ad ultionem procederent, commissi tamen perjurii memores, tarditatem supplicii gravitate compensare significarent. (*) Ad hanc rationem Agamemnon apud HOMERUM, cum Menelaus contra datam acceptamque fidem a Pandaro vulneratus esset, perfidia ista fore, ut suam poenam sortiatur, praedicit, additque egregie.

*Ειπερ γαρ τε και αυτικ' Ολυμπιος ουκ ετελεσσεν*

*Εκ τε και οψε τελει συν τε μεγαλῳ απετισαν*

*Συν σφησι κεφαλησι, γυναιξι, και τεκεεσσιν.*



(*) SOLONIS *illud παντως υστερον ηλθε δικη (Vid. Poet. Gnom. a* BRUNCKIO *editi pag.* 74.) *cujusque animo insculptum sit, neque illud ejusdem praetereamus;*

*η σιγωσα συνοιδε τα γιγνομενα, προ τ' εοντα.*
*τῳ δε χρονῳ παντως ηλθε αποτισομενη.*

*Vid. l. l. pag.* 79, *et conferatur bujus Elegiae elegantissima* MELANCHTONIS *versio, a* BRUNCKIO *exbibita in Oper. citat. pag.* 88; *Add. Cl.* LUSACIUS *Exercit. Acad. Cap. IV. pag.* 73. *Merito inde Dei*, Scelerum Ultores, *dicuntur. Vid.* ARNTZEN. *ad* PLINII *Paneg. Cap.* 49.

Vid. *Iliad.* δ *vs.* 160. (*)

Cum perjuri, tum metu, tum conſcientia, ob contemtam religionem, ſuos ipſi animos vexent, (**) et in poenam divinam incurrant, neceſſe ſit, recte LUCRETIUS *L. V. vs.* 1155. cecinit:

*Nec facile eſt, placidam ac pacatam degere vitam,*
*Qui violat factis communia foedera pacis.*
*Etſi, fallit enim Divum genus, humanumque,*
*Perpetuo tamen id fore clam, diffidere debet.*

Conf. JUVEN. *Satyr. XIII.* init.

Quae poetarum loca, a nobis prolata, ſi cum aliis con-

(*) *Hic quoque nobiliſſimum illud* TIBULLI *dictum meminiſſe juvet.*

—— —— Etſi quis primo perjuria celat,
Sera tamen tacitis poena venit pedibus.

*Vid. L. I. El.* 4. *vs.* 21.

(**) *Ideo hoc cauſae fuiſſe putem, quod ante ſimulacrum Jovis, του Ορκιου, (ita enim appellabatur* hominum pater atque Deorum *vid.* CUJAC. *Obſſ. L. II. C.* 19. *aeque ac πιστιος vid* DIONYS. HALIC. *L IV. p.* 257.) *aenea tabula fuerit, in qua inciſi Elegi, teſte* PAUSANIA, *ad pejerantium terrorem compoſiti: vid.* ANN. ROBERT. *Rer. Judicat. L. I. Cap.* 11. *pag.* 188.

conferamus, hoc ad intelligentiam noſtram inde conſequemur, quod, Deos perjuris, quos divini ſupplicii metus a ſcelere revocare non potuerit, non ſolum iratos, ſed ultores et eſſe, et haberi agnoſcemus. Atque hanc cauſam eſſe puto, cur VALCKENARIUS V. Cl. illa, quae apud Stobaeum leguntur, ſic mutata

(Συγγνωμονας τοι τους θεους ειναι δοκεις,
Οταν τις ορκῳ θανατον εκφευγειν θελῃ
Η δεσμον, η βιαια πολεμιων κακα,
Η τοισιν αυθενταισι κοινωνῃ δομων
Η, τ' αρα θνητων είσιν ασυνετωτεροι,
Ει τ'αππιεικη προσθεν ηγουνται δικης.)

interpretatus ſit, (*) ac ſi poeta dixiſſet, Deos nunquam lenitati locum dare, neque jure indulgentiam anteponere. Sed, ſi de hoc carmine judicium ferre mihi concederetur, potiſſimum ad Cl. LUSACII interpretationem accedens, ſaepenumero Deos aequitatem ſummo juri praeferre, poetam dixiſſe ſtatuerem.

(*) *Vid. Diatr. Eurip. pag.* 187.

rem: vid. *Exercit. Acad. Cap. VIII. pag.* 157. Etenim Dei nonnunquam, uti diximus, tarde ulciscuntur, unde egregie Cynthiam suam, ne iterum pejerando Deorum poenas in se provocet, PROPERTIUS monere videtur:

*Desine jam revocare tuis perjuria verbis*
*Cynthia; et oblitos parce monere Deos.*

*Vid. L. I. El.* 15. *vs.* 25. (*)

Neque tantum in perjuros ipsos, verum in posteros quoque, ob hanc sceleris atrocitatem Dii animadvertere credebantur. Dictum Euripidis exhibuimus; (**) sed videantur inprimis VALCKENARII annotata ad *Hippol. vs.* 826. et WYTTENB. *in animadv.* ad PLUTARCHI *l. l. pag.* 63. Caeterum, ut exempla in auxilium vocemus, posteros Laomedontis ob ejus perfi-

di-

(*) *Ita, mihi locus* PROPERTII *explicandus esse videtur, cum vis vocabuli* revocare *hanc interpretationem patiatur. Vid.* GRONOV. *laudatus a* NODELLO *V. Cl. in Obss. Critic. pag.* 73.

(**) *Vid. supra Cap. IV. pag.* 182.

diam punitos esse, nota res est, et apud omnes fere poetas pervulgata (*) Conf., quod de Ctesylla narrat, ANTONIN. LIBER. *Met. C. I.*

Enimvero, missis de divina vindicta Veterum testimoniis, quibus similia addere in promtu esset, si longioribus esse vel liberet, vel liceret, ad illa transeamus, quae modos complectuntur, quibus mortales tam nefandum crimen tollere et vindicare constituerunt.

Scilicet, ut est hominum natura, humani supplicii metu a scelere revocantur, Deorum vindictam alio tempore, post mortem nempe, expetendam parum curant, et tantummodo rationes suas ita ineunt, ut poenam judicialem effugiant. Recte hoc intellexit Juvenalis *Satyr. XIII.* 80. sq.

*Fa-*

(*) *Inde apud* VIRGILIUM *Georg. L. I. vs.* 502.
Laomedonteae luimus perjuria Trojae
*Quamquam summus Poetarum Interpres*, HEYNIUS *h. l. aliter interpretetur, nostram tamen interpretationem probare videtur* HORAT. *Carm. L. III. Od.* 3. *vs.* 21.

. . . . *Facile et pronum est, superos contemnere testes,*

*Si mortalis idem nemo sciat, adspice, quanta*

*Voce neget, quae sit ficti constantia vultus.*

Sed, ut cupiditates auctae sunt, aucta hominum audacia, et in crimine perpetrando insolentior facta est. Postquam igitur, sanctitatem illam societatis hominum, Numine supremo interposito tum judice, tum teste, temeritas sceleratorum sustulit, et aperte ea facere instituit, quae memoriae judicis, et persecutioni modo surriperet, legum latores atque custodes graves poenas perjuris infligere coeperunt. Aegyptii reliquis gentibus facem quasi praetulerunt, cum illos morte dignos judicarent, qui tam parvam Deorum rationem habuissent, ut, iis interpositis, tum vindicibus, tum testibus, nihilominus tamen a data fide recederent. Vid. DIODOR. SICUL. *L. I. C.* 77. Apud Romanos, Decemviri, judices, qui contra jusjurandum in judicio versati erant, capite puniendos esse, constituerunt; cum e contrario adversus tam taetrum facinus, Grae-

Graeci molliores reperiantur castigatores. Vid. PETITUS ad *Legg. Attic. pag.* 401.

Enimvero, memorata illa poena judicibus, non tanquam perjuris, infligebatur, sed iccirco potius, quia, contra leges jus dicentes, sententias, quae a bono judice proficiscerentur, indignas tulerant. Quorsum haec tendant, diligentissimus harum rerum existimator, cum jus Romanum perjuris lenissimum esse sciat, facile intelliget. Et hoc quidem latius nobis explicandum erit.

Ergo, quoniam non semper ex intima Philosophia juris disciplina, sed interdum quoque ex Praetoris edicto et XII. tabulis haurienda est, hoc loco non inquiramus, quid jurisprudentia, ad optimae Philosophiae normam exacta, contra perjuros statuere debuerit, sed quid juris Romani conditores legibus suis de hoc crimine sanxerint.

Scilicet Numa Pompilius, primos inter Romanorum legis latores nobilissimus, Fidei quidem templum dica-

carat, illamque honore religioso colendam esse mandaverat, (*) de perjuris autem nihil statuerat; quemadmodum quoque XII Tabulae nullam a perjurii reo poenam repetebant, cum tantummodo jurisjurandi sancte servandi commendationem contineaeret. AD ADSTRINGENDAM FIDEM ARCTUM, SANCTUM, INVIOLATUM QUE VINCULUM JUSJURANDUM ESTO. Ita legem exhibet TERRATSON. *Hist. de la Jurisp. Rom. Part.* II. §. 12. *pag.* 181. Neque ulla lex reperitur, quae perjurii poenam continet, cum Censoribus hujus criminis vindicatio concessa esset, qui quidem, (teste CICERONE *de Offic. L. III. Cap.* 31) nulla alia de re diligentius, quam de jurejurando, judicabant.

Enimvero, quicunque Censorium munus attenta mente consideret, illud ita fuisse constitutum intelligat, ut morum disciplinam contineret, ubique, non angustis certorum hominum terminis septum, sed per o-

(*) *Vid. Supra Cap. I. pag.* 14.

omnium ordinum cives vagatum, ſuum de moribus judicium et cenſuram exercens. Hujus, ut ita dicam, imperii fines non egrediebatur, atque nunquam in graviorum criminum animadverſionem, tanquam in auxilium vocabatur. Conf. VAL. MAX. *II.* 4. Quoniam igitur *crimina capitalia*, quorum poena legibus erat definita, Cenſorum judicio et animadverſioni non ſuberant, nihil poterant amplius, quam illis, quos condemnabant, notas adſcribere: quicunque vero ab illis notabatur, infamis et erat et habebatur. Poena igitur Cenſoria, ſive illam levem, ſive gravem dicas, erat ignominia, et illa eadem graviſſimi criminis, perjurii, poena, (*) quam ergo, ſi ſceleris atrocitatem ſpectas, potius nullam dixeris. Juris Romani incredibilem lenitatem, ac pene dicam, illicitam inauditamque clementiam! Diis ſcilicet injurias ſuas cu-



(*) *Vid.* TERRATSON. *Oper. Citat. pag.* 183. OTTO *Diſſert. de Perjur. per Princip. Gen. Cap. III.* §. 1. (*Diſſert. P. I. pag.* 278.) CARPZOV. *Pract. Crim. P. I. Quaeſt.* 46. *pag.* 298.

curae esse sibi persuadebant, *Perjurii poena divina exitium, humana dedecus*, inquit CICERO *de Legg. L. II. Cap.* 9. Ita libera Republica. Sed quid tandem, cum Imperatores suo imperio omnia subjecerant, perdita libertate factum est? num melior ab hac parte Romana jurisprudentia, atque praestantior? Dicam, quod sentio, et, ut opinor, dicam vere.

ALEXANDER Imper. *in L. 2. C. de Rebus Creditis. Jurisjurandi contemta religio*, inquit, *satis Deum ultorem habet. Periculum autem corporis, vel Majestatis crimen, secundum constituta Divorum Parentum meorum, et si per Principis venerationem quodam calore fuerit pejeratum, inferri non placet.* Quam diversas haec lex interpretationes nacta sit, difficile est enumerare. (*) Recte vero illos, qui omnino hanc legem ad perjurium per Principem, ut ita juris Romani mollitiem excusent, referri volunt, mihi erroris ar-

(*) *Plurimorum Interpretum sententias exposuit* CARPZOV. *Pract. Crim. P.* I. *Quaest.* 46. *pag.* 296.

arguere videtur CUJACIUS *in Obff. L. II. Cap.* 19., cum huc faciunt CARPZOV. *l. l. pag.* 297. OTTO *Oper. Citat. pag.* 281. et LEYSERUS *Meditat. ad D. T. VIII. pag.* 618. LEYSERI vero fententiae, qui, cum pugnam hujus legis cum aliis dirimere noluit, illam a compilatoribus Codici infertam effe arbitratur, atque iccirco quidem, quia, ejus opinione, perjurium multis legibus coercetur me non adfcribo, neque etiam recte REUSNERUM, a CARPZOVIO *in Oper, citat. pag.* 297. excitatum, ALEXANDRI philofophiam defendere exiftimo.

Quod primum igitur ad LEYSERI fententiam attinet, Leges, quas memorat, non perjurium coercent, fed crimen, propter quod perjurium eft commiffum.

Ita contra perjurum actionem de dolo dandam effe, LABEO exiftimabat. Vid. *L.* 21. *D. de dolo malo*, PAULUS vero, lege fequente, *poenam perju-*

*rii sufficere* contendebat; cum vero poenae genus non expresserit, divinam ultionem, in *L. 2. C. de Reb. Cred.*, propositam, Ictum intellexisse, merito colligi potest.

Quoniam stellionatus crimen ad illud refertur, si quis fraude et dolo malo cum altero egerit, v. c. in pignore dando pro auro aes subjecerit, dignum rè vera est scelus, quod judiciali animadversione puniatur: punitur ergo, quicunque hoc crimen commiserit, exilio, non vero perjurium, quo forte usus est, ut ita facilius fraudem suam occultaret. Hic sensus mihi legis *Ult. D. de Crim. Stellion.* esse videtur. conf. MATTH. *de Crimin. pag.* 247.

Caeterum, si illud assumamus, de quo nemo est, qui dubitet, tempore liberae Reip. infames fuisse perjuros, atque ita quoque habitos, reliquae leges, quae sententiae nostrae contrariam opinionem firmare videantur, ita explicari possint, ut aequo Marte e certamine discedamus. Imperatores ARCADIUS et HONORIUS *in L. 41. C. de Transact.* illos, qui in

trans-

transactione juratam fidem fallerent, *infamia notari* volunt, addunt autem, *rerum proprietate careat et emolumento, quod ex pactione vel transactione illa fuerit consecutus.* Cum ratio, neminem ex contractu, in quo fraudulenter egerit, commodum posse percipere doceat, ex hac lege nullam aliam perjurii poenam, quam infamiae illam facile elicies.

Quemadmodum Graeci suas ψευδομαρτυρίων actiones adversus testes, et κακοτεχνιῶν, adversus illum, cui testimonium dixerant, habebant, (Vid. PETIT. *in Legg. Attic. pag.* 449) ita Romani acriter quoque falsum testimonium vindicabant. Vid. *L.* 13. *C. de Testib.* (*) Cum autem Imper. ZENO in hac lege falsos testes, primum de perjurio, conveniri dicat, non aliam hoc significationem habeat, quam *in L.* 22.



(*) *Praeter hanc legem, in falsa, et diversa inter se testimonia dicentes, quoque poena statuitur in L.* 27. *D. de Lege Cornelia de Falsis. Antiquitus vero, ex XII. Tabb. falsum testimonium dicentes e saxo Tarpeio dejectos fuisse res nota est. Vid.* AUL. GELL. *L. XX. C. l. Conf.* PARDULPH. PRATEJ. *in Jurisprud. Vet. Thes. Jur.* OTTON. *T. IV. pag.* 466.

12. *D. de dolo malo.* Atque ita porro principes in civitate viri, si qualibet actione judiciali conveniantur, non fide jussionem, sed cautionem juratoriam praestant, quam si violarint, dignitate, *qua se per suum videlicet perjurium, indignos esse probaverint, spoliantur.* Vid. *L.* 17. *C. de Dignitat.*

Non ergo tanquam perjuri puniuntur, sed propterea, quod privilegio, in favorem suum introducto, turpiter abusi sint. Qui plura cupiunt, MATTHAEUM *de Crimin.* supra laudatum, et CARPZOVIUM *in Pract. Crimin. P. I. Q.* 46, *p.* 248, in consilium adhibeant.

Constet itaque, Imperatores de sua magis, quam de Deorum injuria sollicitos fuisse, cum illos, qui per Genium Caesaris pejerant, fustibus, addita admonitione προπετως μη ομνυε puniri jubeant, sicut SEVERUS et ANTONINUS (*in L.* 13. §. 6. *de jurejur.*) (*) rescripserunt. Inde lepide apud TERTULLIAN.

*Apo-*

(*) *Haec lex, quomodo cum nobilissima illa L.* 2. *C. de Reb. Credit. concilietur, monet* CUJACIUS *Obss. L. VIII. Cap.* 7.

*Apolog. Cap.* 28. ad Romanos. *Citius apud vos per omnes Deos, quam unum Genium Caesaris pejuratur.* Conf. OTTO *in Differt. de Perjur. per Gen. Princ. Cap. III.* §. 3. (*Differtat. P. I. p.* 281.) Atque ita, ad REUSNERI, juris Romani lenitatem probantis, fententiae dijudicationem pervenimus.

Ut tutela, fic procuratio Reipublicae, ac cura juftitiae, ad utilitatem eorum, qui commiffi funt, gerenda eft. Itaque, cum faepenumero, Reip. cauffa, contra maleficos feveritas, fine qua nulla facile focietas adminiftrari queat, fit adhibenda, boni judicis, qui juris aequabilitatem exercere cupit, effe cenfetur, pro magnitudine fceleris, modo manfuetudinem atque clementiam, modo animadverfionem et caftigationem, feveram illam, et crimine congruam exercere. Recte itaque homicidae capite plectuntur? cur autem Deorum vindictae foli perjuri relinquantur, me intelligere non poffe profiteor. Nam iccirco illud poffe obtineri, quod ultio divina, poena fit fatis gravis, non

equidem affirmare audeam, cum ab istiusmodi ratiocinatione haec consecutio duceretur, omnes homicidii, adulterii, similiumque criminum animadversiones Deo esse permittendas. Nullae ergo leges, nulla judica, nulla judices, nulla denique, quam profitemur, jurisprudentia.

Porro, cum judices ab ipso Deo constituti sint, ut, quaecunque divinae voluntati contraria peragerentur, animadverterent, iisque magnam auctoritatem Numen Supremum tribuerit, non iccirco ipse juri suo renunciavit, quo nimirum omnes malefici aeque ac perjuri in suam vindictam inciderent; si itaque a judice puniuntur homicidae, poena quoque afficiendi sunt perjuri, et, an violatum jusjurandum severius animadvertere velit, Deo relinquendum est. Praeterea, si ad societatis utilitatem rem referre velimus, opinionem perniciosissimam qui perjuro nullam poenam infligant, in civitatem inducere, vere mihi videentur. Inprimis, cum omnes fere gentes, quam diversam in hoc a Romanorum legislatoribus sen-

fententiam fequerentur, fuis legibus probarint. Hanc in rem exempla fatis multa collegit OTTO in Differtatione, plus femel laudata, *Cap. III.* (*Differt. P. I. pag.* 292.) Conf. CARPZOV. *Pract. Crimin. P. I. Quaeft.* 46. *pag.* 296. et 298.

Caeterum hodie plerumque arbitrariam poenam perjuris infligi, cum amputatio digitorum, a CAROLO V. conftituta, (*) non in omnibus cafibus obtineat. (**) Apud Frifios autem perjuri puniuntur fecundum ftatuta, *aan lyf*, *eer*, *en goed* tefte HUBERO *Hedend. Rechtsgel. L. VI. C.* 20. *Art.* 6. Ubi hanc in rem excitat *Ordonnant. II. XVI. Art.* 3, qui tamen locus huc referri nequit: vid. modo Ampliff. HAMERSTER *Statut. van Friesl. P. I. pag.* 306. Si tamen poenae perjurii in Frifia exempla anquiras, legas HUBERI *Praelect. ad L. XLVIII. D. Tit.* 10. Atque



(*) *Vid.* LEYSER *Meditat. ad D. T. VIII. pag.* 629.

(**) *Vid.* CARPZOV. *Oper. Citat. pag.* 300.

hoc loco minus notam GEORGII Saxon. Duc. et in Frisia Gubernat. Hered., legem repraesentabo e libro, qui inscribitur: Dit zijn die statutē eñ landt Rechten van den landen van Oost Vrieslandt bij die Sassensche tijden. &c. ubi inter alia haec leguntur:

Item die wetenlic eenē quadē eedt sweert sal xi. dagen lanc vasten te water eñ broot/ eñ noch seven Jaer leven in grote penitencie eñ gheen sacramenten ontfangē/ eer dat hi zijn penitencie volbracht heeft/ dan alleen in die ure zijns doots. Item meyneedicheyt eñ dootslach te zijn na den rechten/ al lijc ofte gelijc na den rechten. Item die eenen raet tot eenen quaden eedt/ doet groter sonde dan oft hy een doodslach dede/ want in eenen valschen eede doot mē een siele/ die duysentwaal beter is dan dat lichaam. etc.

Item die meyneedich is die is een eerloos man eñ en mach nimmermeer/ rechter/ voorsprake/ tuyge/ noch

noch ozloten wiesen/ noch gheen digniteyt zijn dage ontfangen.

Plura hac de re in medium proferre, non cadit in Observationum tenuitatem. —— Haec ergo hactenus.



THE-

# THESES.

I.

Decemviros in Legg. XII. Tabb. omnino corporum ſectionem permiſisſe ſtâtuo.

II.

Quod attinet ad pugnam L. 3. inter et L. 14. D. de Transact. non dubitamus facere cum Cl. VOORDA Elect. C. 1.

III.

Legem 22. C. *de Negot. Gest.* conjectura ſollicitari non debuerat BYNKERSH. in Obſ. Jur. Rom. L. 1. C. 7.

IV.

IV.

Nulli populo alterum, propter malos mores, bello perſequi licitum eſſe exiſtimo.

V.

Torturam, quae dicitur, deteſtabilem eſſe immanitatem adfirmare non dubito.

VI.

Mulieres ad tuendam pudicitiam moderamine inçulpatae tutelae gaudere exiſtimo.

VII.

Comites, Magiſtratibus in Hollandia legum ferendarum Jus concedentes, nunquam tamen ſuam imperii majeſtatem iis tradiderunt.

# D'ESCURIO
## SUO
## JO. AD. NODELL.

Lauru, non ſatis eſt, Apollinari,
Nexisque Aonidum manu corollis
Ornatum in Claria nitere turba,
D'ESCURI, tibi! nec ſatis, politis
Ingens carminibus decus tuliſſe!
Sacerdos Themidis cupis vocari,
Aſtraeaeque ſacris initiari,
Et caſtis manibus pios odores
Sanctis Juſtitiae cremare in aris.
Quin nomen, Latia prius Camena et
Culto carmine jam celebre multum,
Docto, Jupiter! evehis libello
Famam ad Cujaciique, Grotiique,
Et quos praeterea Themis peritos
Legum jactitat eruditiores.

Sic,

Sic, Henrice, decet, decus parentum
Rebus, quas proprias voces, tueri! ——
Jam Lares patrios brevi revifas,
Fac, quaefo, & Grunicas relinque terras,
Ut Phoebum fimul, & fimul colamus
Caftas Pierii jugi Puellas;
Et libris Latiis, librisque Graiis,
Chartisque Aonidum manu politis
Iucunda otia dehinc fimul teramus.
A vulgo procul, et procul pudendis
Secli deliciisque, ineptiisque.
Huc, huc, fac properes, Amice! Sic te
(Quamquam, falfiloquas, doces, puellas,
Et perjuria crebra blandientum
Nil curare Deos Deasque Olympi)
Nunquam falfiloqua audeat puella
Lufiffe infidiis dolisque amantem.

Rotterodami CIƆIƆCCXCIV.

# E I D E M.

# S.

Itala quem fovit, fovit quem Graeca Venuſtas,
Quem nivea Charites perpoliere manu,
Quemque aequas juvenem juris formavit ad artes
Auſonis ornatu Suada decora nov ,
D'ESCURI! oblatos tibi jam gratarer honores;
Edit at incultos icta chelys numeros:
Nam ſatis auxilii mihi mens, et dextra recuſant,
Ictibus haec impar, nec capit illa modos.
Gaudeat Orpheo teſtari gaudia cantu
Pieris ad laudes officioſa tuas;
At mihi, tum Muſae voces, tum publica vota,
Quolibet applauſu continuare, ſat eſt.
Ergo Gruniacae Phoebeo in nemore lauri
Surgite, Pierio grata latebra Deo,

Otia



Otia sub vestris ducens D'ESCURIUS umbris
Gruniacis condet carmen Hamadryasin.
Pomiferis quondam veluti cantavit in hortis
Cilnius, Etrusco sanguine natus eques.
Seu Latii volvet gratissima carmina vatis,
Scriptaque, quis merito terra Pelasga tumet;
Talis Alexander, victricia quo tulit arma,
Maeonii fertur scripta tulisse senis.
Seu modo discutiet jussas a Caesare leges,
Romulei versans nobile juris opus:
Ut queat, ad patrias Astraea ubi considet aras,
Inclyta legiferi jura referre fori.
Scilicet est aliquid, pretiosa per otia Phoebum
Demeruisse, Themin demeruisse simul.
Non secus immanes populos flexere poetae
Legibus, ac mores perdomuere, suis:
Threicii ad numeros ita vatis venit Oreas,
Adstitit et fusis Naïas uda comis.

O Gra-

Grajugenum arcentes rabidis perjuria jambis
Edocuere datam non temerare fidem.
Ergo, caufidicus dum Baldi aenigmata volvit,
Clamofoque loquax latrat agyrta foro;
Tu potius, prifci detectis fontibus aevi,
Numen utrumque pari religione cole!
Talibus aufpiciis quaevis minitaberis alta,
Res quoties promtam publica pofcat opem,
Et tibi, luctantum non asfimilanda tropaeis,
Perpetuas grates, Patria dona feret,
Et domus, a cujus titulis fulgebis avitis,
Aeternum lauros, quas geris ipfe, geret.

A. HAAKMA TRESLING,
ICtus Groning.

GENE-

GENEROSISSIMO JUVENI

# HENRICO COLLOT D'ESCURY,

J. U. DOCTORI CREATO.

Te mea, D'ESCURI! Patriae ſpes inclyta noſtræ!
Præclara hâc vellet Muſa beare die,
Hei mihi ſed juſtæ deſunt in carmina vires,
Adderet haud famæ laus quoque noſtra tuæ;
Carmine pollentem quem doctus jam ſtupet orbis
Cujus et æternâ tempora fronde virent.
Quem ſimul ante alios Themis alma agnoſcit alumnos
Juridici famam quis neget eſſe fori?

Hoc probat assiduâ quam sedulitate parasti
  Nunc Tibi per doctos palma tributa viros,
Huc pede felici redeas, charissime! dum te
  Excipiat plausu patria læta pio,
Doctrinæque tuæ multos hinc carpere fructus
  Detur, et his serus gaudeat usque nepos,
Vive diu felix Pyliosque beatus in annos
  Proque tua moveant vota salute Deum!

H. C. HABBEMA
Litt. Stud.



COGNATO EXOPTATISSIMO

# HENRICO BARONI

# COLLOT D'ESCURY.

Musarum, o dilecte mihi, Phoebique Voluptas!
  Et praeclara Deae gloria legiferae!
En tibi, quam toties optasti, candida fulget
  (Lumine felici fulgeat usque) dies.
Scilicet haud vitam voluisti ducere inertem,
  Desidiaeque piger castra inhonora sequi,
Ipsa Themis summo, delapsa per aethera, coelo
  En nivea gestat, serta decora, manu.

Huic

Huic ſe Pierides, huic ſe formoſus Apollo,
En jungunt comites, nec tua Pallas abeſt;
Teque ſuum decorant Themis, et cum Pallade Muſae,
Haec merito violas porrigit, illa roſas.
Ergo Numinibus tot multum perge placere,
Maximus arte fori, maximus arte lyrae.

J. C. du TOUR,
J. U. Stud.

Praeter vitia, a nobis notata, Lector ipse reliqua, pro sua benevolentia corrigat.

Pag. 43. vs. 8. *Excisc.* scribe *Ercisc.* pag. 56. vs. 10 et 11. *prosit prosint praebeat praebeant.* pag. 87. vs. 1. *et* PUFFEND. *ad* PUFFEND. pag. 131. vs. 8. *Anglum* deleatur.

